**JORDANUS BRUNUS NOLANUS**

***DE MONADE NUMERO ET FIGURA, SECRETIORIS NEMPE PHYSICAE, MATHEMATICAE ET METAPHYSICAE ELEMENTA.***

**AD ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. HEROEM HENRICUM IULIUM BRUNSVICENSIUM ET LUNAEBURGENSIUM DUCEM, ALBERSTADENSIUM EPISCOPUM, ETC.**

## Lectori]

Daedalias vacuis plumas nectere humerisConcupiant alii, aut vi suspendi nubium;Alis ventorumve appetant remigium,Aut orbitae flammantis raptari alveo,Bellerophontisve alitem;
Aut Pyndum subdere Olympo atque Ossae studeant,Vel (melius) peregrino advectos spirituFieri irrisoris instrumentum daemonis,Ut perdito de corpore mirabilisDent specimen suppositi.
Nos vero illo donati sumus Genio,(Ut fatum intrepidi, obiectasque umbras cernimus),Ne coeci ad lumen solis, ad perspicuasNaturae voces surdi, ad Divum muneraIngrato adsimus pectore.
Non curamus stultorum quid opinioDe nobis ferat, aut queis dignetur sedibus:Alis ascendimus sursum melioribus,Quid nubes ultra, ventorum ultra est semitas,Vidimus quantum satis est.
Illuc conscendent plurimi, nobis ducibus,Per scalam proprio erectam et firmam in pectore,Quam Deus, et vegeti sors dabit ingenii,Non mens, pluma, ignis, ventus, nubes, spiritus,Divinantum phantasmata.
Non sensus vegetans, non me ratio arguet,Non indoles exculti clara ingenii;Sed perfidi sycophantae superciliumAbsque lance, statera, trutina, oculo,Miraclum armati segete.
Versificantis grammatistae encomium,Buglossae graecissantum et epistoliaLectorem libri solutantum a limine,Latrantum adversum Zoilos, Momos, Mastiges,Hinc absint testimonia.
Procedat nudus, quem non ornant nebulae,Sol; non conveniunt quadrupedum phaleraeHumano dorso. Porro veri speciesQuaesita, inventa, et patefacta me efferat;Et si nullus intellegat,
Si cum natura sapio et sub numine,Id vere plusquam satis est.

## CAPUT I

Quos gremio tellus hominum fovet alma benigno,Maxima pars hoc acta (Ducum celeberrime) fato est,Ut vegeta, tempus studii, sub syndone solisDestinet iis rebus, quibus adservatur inanisSpiritus in vinclis, vivaeque caligine tumbae,Cui vitae finis vita est, via meta viai.Indeploratum primo genus exit eorum,Qui neque fortuna gaudent, neque robore sensus,Divini vultus nusquam simulacra ferentes;Quos tantum consors homini commendat imago;Dum interea ingenium pecoris compendia vitaeAptius adsciscet, digiti pro munere quini.Hoc debet miserum sic adservarier, ut sitTurba ministerii ingenio meliore subacta.Non minus infelix numerus succurrit eorum,Queis ut non desunt alieno parta laboreCommoda, dormitant requieta mente supini;Sicque diem nocti iungunt, noctemque diei,Ut mors viva premat miseros, et mortua vita.Nam bona non bona sunt propriis in sensibus orbo,Quem fugit ingenium, ratio, experientia, et usus:Nil audit quod non credat; seque arguit ipsumCernentem interdum, et vigilando somniat excors,Ac medio in luxu laxatur vivere, visqueBruta voluptatis, mortis turbata timore est:Sic stultum excruciat, propria ignorantia, tortor,Donec summa dies decreto edixerit arcto,Ut fungus terrae specie reddatur eadem,Qua primum exortus superas concessit ad auras.Sunt quos sustollit duris in rebus egestas,Exacuitque ardens amor, aut timor, aut recoquentiAmbitio stimulo. Quapropter candida veriNon movet hos species, virtutisque intemeratae,Sed quae frugifero hoc titulo vaga opinio donat.Futile propterea studium reputabitur illis,Quod non parturiat ventri rata commoda surdo,Et quos insanum vulgus sustollit honores.At nos quantumvis fatis versemur iniquis,Fortunae longum a pueris luctamen adorsi,Propositum tamen invicti servamus et ausus,Queis vel forte, Deo tantummodo teste, valemus,Vel non usque adeo aegroti sumus, atque sopiti,Vel certe sensum morbi retinemus et ultroTemnimus, ut mortem minime exhorrescimus ipsam.Viribus ergo animi haud mortali subdimur ulli.Te melior fortuna, Deus, (celsissime princeps)Si modo pro ingenii rebus superaddis honore,Edidit exemptum a cura, miserator, utraque:Quando opibus liber et maiestate renides.Non sic ut spernas populos, queis suspiciendumTe dedit: et non ut temnas, quibus esse verendumIussit, ceu suevit numerus, plane haud mediocris,Ipsorum qui sceptra tenent duntaxat, ut exstentOrgana, queis seclum neglectum suppeditetur,Et pecus indignum sua sub duce pabula carpat,Pro quibus exsolvat vellus, gravioraque pensa.Nam gravius nihil est, quam libertate superba,Iuraque pro arbitrio pollens sibi fingere, avara,Rustica progenies: quae tunc se attingere caelumCredit, cum potis est impunis temnere iura,Et quidquid splendet virtute ac nobilitate,De genere unde videt merito contemnier ipsam.Sed dio sic igne nites, sublimior orbiIrradians, gemina ut vi luminis atque rigoris,Discutias tenebras, et turbida barbarieiSemina disperdas; ubi Musae et Martis honoresExplicat ex uno, Iovialis, corpore, Pallas.Hinc populos generosa regens industria tantosNon eget austero (ut video) medicamine, quo sitPraxis de studio hoc potius spectanda potestas,Quam simplex ratio, rerum fons, luxque perennis.Ergo quod in praxi pars istaec tota reposta est,Fertque suo innumeras paucarum pondere praxes,Charior est vulgo, atque loco celebranda priore,Ipsis de titulis. Sed non haec fercula vulgoPorrigimus. Porro hinc ad malas commoda, gentiInstituenda damus, quae non intelligat ipsaOmnia, sed tantum quae sunt nutrimina sensus;Quo fors adtollat semet, numeroque recedatEx illo quisquam, qui intenta mente relustransPropositum, atque urgens iterumque, iterumque volutans,Comperiat signis quae non monstramus avaris:Nam nihil adstruimus, quod non comprendere possitQui non grammatica tantummodo lege sophatur,Et novit lapidum, herbarum, generisque animantumQui status et quae sit complexio, quaeque potestas,Et vita et mores de toto et partibus ipsis;Naturae ut calamo veniunt descripta fideli.Sunt generis primum signis distincta, subindeSub genere archetypus speciem hanc seiungit ab illa, etSub specie propriis noscuntur singula notis.Namque quid esse putem similes variasque lituras,Quam proprium, atque aliis commune, notantia signa?Tanto nimirum meliori lumine adacta,Promptaque praecipue, quanto scriba optimus ille estQui signando facit totum, faciendoque signat;Nec patitur simili diversum currere vultu,Lumine depingit totum sapienter et umbra,Omnibus unde omnes rebus subiere colores,Foecundas rerum voces et scripta

ubicumqueInvenies, quocunque oculi advertentur et aures:Quae scriptura licet satis est expressa, dieiConcurrens cum luce; tamen quia vel sumus orbi,Vel minus intenti potius, latet irrita nobis.At non per se, ac simpliciter venit irrita, certe,Nam neque momentum naturae nos sumus omne:Et si momentum naturae nos sumus omne,Haud sumus hac specie aut alia sic praetereunte,Atqui simpliciter pro cunctis materiei,Atque actus numeris. Nihilum vetat attamen esse,Ut quandoque fuere viri, qui ascendere sensuHac potuere tenus, qua certis multa sigillisAtque characterum tractu docuere parari,Temporibus certis, vestigia, cunctiparentisNaturae intento lustrantes lumine vultus:Nempe ita colloquio fungi potuere deorum,Istius et generis bene compellare tabellisNumina naturae, vel sic pro more patrare.Quaelibet et species per singula membraque eorumCunctas expromit species, velut est hominum quiEt vultu atque anima est tarde gradientis aselli.Ergo discrevit propriis natura figurisCuncta sigillatim, constanti cunctaque legeFontibus e paucis deduxit principiorum,Ut species, monadis lucisque imitamina primae,In rerum vultu clueant, vigeantque profundo.In monade atque atomo est recti curvique potestasAc simplex actus, quo sunt haec unum idemque.Dein monadi ut monas accessit, progressio rectiPrima data est, primum discrimen, differitasque.Mox triadis vigor adveniens contraria primaIn recto ac curvo adducit, dextro atque sinistro;In medio, et sursum posito, positoque deorsum,Extremis, primus sequitur par, primus et impar.Quin etiam species, monas addita, multiplicandoPer diadis primae ac triadis discrimina, nullosAd numeros revocata, facit, dum singula certisConstituit numeris, sed vix remanentibus unumIisdem ad momentum. Quapropter provida iiscePraecipit obtutum rationis tollere diae,Lux mentis, sophiaeque vias pertexere, certasQuae adsciscunt species, numerum fusasque per amplum.Nam varie in variis eadem est impressa figura,Ut speculi varia est sors, vis, positura tomorum,Materies, magis atque minus per imaginis actumUnius, illustris. Placuit quapropter, haberiCuncta hominem unum, Sapientum ex ordine queisdam.At species eadem, pro appulsu materiei,Hanc unam oblongat formam, sinuatque recurvoA speculo, heic vultum canis et bovis atque elephantisEfficit, in longos artus trahit inde lacertas,Spargitur in ramos eadem hic substantia plantae,Omneis telluris spectas in corpore partes.Nilque adeo exiguum est, quod sensibus obiiciatur,Quod non et speciem hanc referat pro viribus unam.Atqui heic materies minus est digesta, ibi manca est,Crassior est illic: actus latet unus et alter;Non minus iccirco est species immissa per omneUnica, Timaeo ut placuit, visumque Platoni est:Qui melius diadem tribuerunt materiei,Sed formae monadem; quos contra stat Stagyrites;Quamvis et modus hic sophiae non semper ineptit.Quidquid id est, serpens serpentem dixerit unumOmnia, corvum unum corvus, propriam speciemqueMensuram rerum faciant, mediamque reponant,Ut facimus nostram, velutique reponimus ipsi,(Confusum mixtumque genus voce ingenioqueQuo manus extollit), quia constant consimilariOmnia compage, atque in cunctis spiritus unusInsitus omne agitat, prout est agitabile, et urgetPraesentem ut speciem cunctis praeponat; ut ipsa,Appulsu toto, cupiat servarier usque.Ergo iudicium si cui se adtollere <ad> altumEst animus, quo de lethaeo denatet orco,Nunc specie e propria in genus adsurgendo, sequaturNaturae speciem: mentis acie ut videat, quamFontibus e propriis, aliis aliud speciebusEst verum et falsum, rectum obliquumque, decorumProbrosumque, bonum atque malum, iucundum et iniquum,Et turpe et pulchrum: propriae namque ordo figurae, etConcentus proprii numeri citat omnia: quo seComparibus iungant, et proxima saecla propagent.Nam quis belluinam speciem, nisi bellua cupiret(Scilicet ante actae cui sunt quoque semina vitae)Ad Venerem? Venus est, speciei cuique, sibi ipsiConsimile, est alius bruta sub gente CupidoEt Deus: ingenium ut varium, atque adcommoda fata,Sic varium genus est: ut portio materieiNon eadem geminis animabus subiicietur.Nempe hominum e specie esse vides varium genus, ursosMoribus hi promunt, porcos isti, iique leones.Sunt quos ad pisces referas, volucres, colubreisque.Qualibet in specie ac numero mox comperienturOmnia, pro varia variorum conditione.In cunctis siquidem porcum video atque leonem;Atque sigillatim subiecto haec plurima cuique,Omnia sunt cunctis ita convenientia. RursumNe duo comperias paria, atque per omne eadem, quinPer quae conveniunt, et iam contraria saepeComperias; veluti fabro faber invidet: hic namPerpetuo alterutrum contraria bina repellunt,Obiecti eiusdem affectu, quod non duo possuntObtinuisse simul. Sic concordare necesse estHaec certum in finem et certo fundamine primo.Hinc homini infensum, nihilum magis est homine ipso.Proinde in principiis latet haec discordia: quam sorsDiversi ingignit de campo materieiDividuo, ad numerum, monadis quod ab orbe recessit:Dum tamen et monadem pro viribus adsequitenturPer numerum innumerum: quia non tibi quod mihi dulce est;Nec quod dulce fuit paulo ante, et nunc mihi dulce est,Materiae siquidem accessit pars, parsque recessit.Non iisdem est numeris volucer, serpens, fera, piscis,Quae si res numerant, non uno atque ordine eodemConnumerare valent, neque praenumerata videre.Namque alius decet haec finis, primordia, opusque:Nec totidem repetunt digitos, totidem articulosque.Propterea haud homini est reliquis prudentia maior,Qui numeris multis a multis linquitur, atque iisQuae minima pro mole nihil curanda videntur:Cui melior fortuna, manus pro munere, cessit.Non ergo ratio est naturae simpliciterque,Dum numerum innumerum praetermittendo, capessitPraedefinitas, quibus omnia constituanturConque figurentur, naturas, atque figuras,Concelebrans decadem, cuius variantia membrisOrdia prima sient, quibus accipit omne figuras.Namque ubi nunc denae statuuntur in arte figurae,Ingenio efficitur naturae consilioque,Quod nostrae appositum est speciei, omnesque perambitHumani finis causas, elementa, modosque.

1. Rem sane, superficie tenus aspicienti, absurdam ex methodorum apparente confusione facere videmur, primorum elementariorumque numerorum meditationem cum elementariarum primarumque figurarum meditatione perinde conplectentes, atque qui geometricum opus cum opere confunderet arithmetico. Sed penitius intuenti, et rerum cum rebus ordinem et socialem illam analogiam non ignoranti, utque natura ipsa superiora cum genere quoque diversis inferioribus consociando, materiam finit, figurat, vivificat, servat, et ad propagationem specierum promovet admirabilium, maximopere precium facere comperiemur; qui dum nihil vulgare molimur, nihil factum facimus, quando (ad ingeniorum fortunatiorum gratiam) numerorum sensibilia, in melioribus quam vulgus norit figuris, reddimus elementa; nec non huiusce generis figurarum sensibilium elementa in eiusce generis numeris speculanda proponimus.

2. Heicne, vel in ipsa quidem dictionum quarundam usurpatione cum arithmetico vel geometrico grege existimes esse commune, cuicunque videre licet, quemadmodum naturae numeros persequentes ad naturales figuras quibus optima mater, universa configurando, distinguit, virtutes, proprietates, ipsaque omnium in eorum superficie nomina depingit, insculpit, et intexit, animum advertimus. Cunctorum in ipsis membrorum et fibrarum numeris, momenta designat illa. In ipsis imaginibus gratias, praerogativas, naturae privilegia, vel horum contraria illa aperit. In characteribus leges, modos, et in agendo atque patiendo vicissitudines insinuat haec eadem. In ea tandem sigillorum impressione, praesidentis supra subiectam speciem numinis authoritatem atque fidem perspectam reddit optima illa parens, atque magistra; in cuius vere divino lumine ambulantibus via non a plebeo strata Genio, et ianua minime multis (iisque a seculo omnium infelicissimo nostro remotissimis) pervia indiciis minime avaris demonstratur et aperitur.

3. Clarissima solis lux neque omnibus lucet, neque eorum, quibus lucet, omnibus lucet aequaliter, siquidem nec ad illam, neque pro illa omnes animum inducunt aequaliter: quinimmo amplius ultroque contendentes absque fatali dispositione non amplius illustrantur. Nullus plane divitiarum fructus esset et honorum, si inter alios non plures essent ignobiles et egeni. Qui enim divitibus et primatibus servirent nisi pauperes atque secundani? Qui magnificorum gloriam atque claritatem admirarentur et colerent, si ordo inglorius et obscurus non subesset? Absque contrariis nullus esset nobilitatis, virtutis, atque fortunae actus, nulla consequenter fortuna, nulla virtus, nulla nobilitas, quia lux in tenebris fulget. Nullus, inquam, locus, conditio, maiestasque lucis non ullis existentibus tenebris esse potest. Subiectiores interea libenter, interdumque (si diis placet) etiam prudenter, quaecumque adsequi non possumus, contemnimus, carpimus, et insectamur, nec praesidenti iustitiae, occultae certaeque subsistentis vicissitudinis rationem propter veri luminis carentiam retinemus.

4. Difficilis est liber, fateor, immo et ipsam scripturam nescientibus legere, lectu quoque impossibilem esse cognoscimus. Homini indisciplinato, et amplius grammatice sapienti, nihil potest esse facile, nihil potest esse commendabile, nisi crepidam illam oleat ludiliterariam. Sed nos propositum resumentes dicimus huiusce generis numeros Pythagorae, Aglaophemo, Zoroastrio, Hermetique Babylonio fuisse principia, quibus operanti naturae homines cooperatores esse possint. Huiusce generis figuras Platonem supra sensibilium specierum orbem extulisse constat; Apollonius propter numerorum virtutem, audito illius nomine, puellam suscitavit. Romanae urbis proprium nomen prodere Romani non sunt ausi; ne ea, qua alias subiecisse dicuntur urbes, et ipsi subiicerentur arte aliquando.

5. Ad hosce demum (qui principiorum combinationem et varietatem constituunt) numeros, et ad hasce, quae primarum proximarumque partium ordinem posituramque definiunt, figuras, respicientes philosophi sapientissimum animalium hominem, propterea quia numeros atque mensuras calleat, definierunt. Species quippe a speciebus, sicut numeri a numeris distinguuntur, quia secundum numeros diversificantur formae, secundum momenta virtutes compositorum, secundum mensuras corpora, secundum sensibiles occultasve figuras omnia.

6. Et peritissimum novimus magorum genus atque divinorum: qui infaustae fortunae amolitionem intentantes, vel novum molientes institutum; vel ad meliorem promovendi statum, ipso etiam praecipiente numine, numerorum mutationem cum nominis mutatione concepere. Et pro figurae mutatione interioris et insensibilis, ritibus et praecisionibus quibusdam sunt initiati: figura quippe numerus sensibilis est.

## CAPUT II

De prima (quae monadis est) figura Agono seu Circulo.

Cyclus ad has prima est radix, formator, et indexQui cunctas unus superat, complectitur, ambit,Intusque attingit, replet, metitur, adaequat.Hoc de fonte fluunt primoque parente, figuraeClarandaeque forum ipsius iustumque tribunalConquirunt, facie inque sua spectantur adauctae,In faciemque suam degliscunt omnia tandem:Illius ut crescit surgens in imagine horizonAmplius a nostris se quando sensibus effert,Illius ut formam capiunt attrita recessuCorpora ad obtutum, quando momenta perireCuspidis expertum est, laterum discrimina vultusAmittunt rerum, in speciem cita principiorum,Quo amplius in nihilum ad oculos solvenda fatiscunt.

Proinde haec cum monadis specie celebranda videtur,Quando parit reliquas, partas fundatque figuras,Undique et insinuata cluit substantia earum.Perperam haud igitur factum est, sed lege probandum,Indice naturae luce, ut caperetur, habenda ePrincipio, minimi Sophiam statuentibus huius,Unde omnis moles, omnis mensura profecta estPervia, sed quoque nunc ut prima est dicta figura.Externae siquidem formae genus omne volentiClaudere, ne ad numerum innumerum labatur inanis,Hoc unum in genere hoc debet praecedere multa,Hoc ipsum ad medium spectent cuncta ordine in uno,Inque hoc tum demum sistant requieta repertoNon minus in finis specie, quam principiorum.

Dein velut e solidis globus est insectile quiddam,Utpote conspicuus facie dumtaxat in una,Sic tantum filo consistit circulus uno.Hinc quibus e planis substantia quanta genuntur,Nec variam in speciem quantum resecando resolvunt,Dividuum ii minime cyclum sphaeramque capessunt.

Ipse velut totum, pars, punctus, terminus omnisPrincipium, medium, ac finem complectitur, atqueIndicat, atque ullus non claudit terminus ipsum;Principium ac finis quia connectuntur ubique.Recta infinitum ratione est ergo putandum,Principium, medium, ac finem, nisi dicere centrumConstituas vere simplex, sine partibus, unum,Ut minimum est unum, recta una, et circulus unus,Chorda, arcus, spiclum, punctum, finis, nihil, omne.Heic ubi conspirant plane contraria in unumOrtus et occasus, dextrum laevumque, recessusAccessusque, status motusque per omnia puncta,Et tanquam nusquam patiens sibi ut adiiciatur,Completum, integrum, et perfectum dicere suemus.

Circulus utque unus, valet angulus undique rectusAd centrum: hunc triquetrum sequitur veluti duo rectiDeinceps succedunt reliquae proprio ordine formae,Et monadi et numero numerum et monadem adiicientes.

Nil etiam patitur vario intus tempore motum,Ordine vel vario, solus reglare sibique estAtque aliis, nempe omne loco hoc nusquam variatur,Sed causis alid atque aliud capiunt peregrinis.

Nec praeter gyrum cuiuscumque ora figurae estExtima contingens, si adsurgens ordine certoIn latus et cornu est, Triquetri ut quaecumque ferаturSubiecti species complexu simplice tangit.Sic igitur semel assumptus, rursumve resumptusPartes definit cuiuscumque ipse figurae.

Praeterea quaecumque volunt in se ipsa redire,Quam et cursu breviore valent sibi proxima adesse,Viribus in cycli formam flectuntur avitis:Sic servant speciem, conlectis, cuncta tomorum,In centrum numeris, quia centrum consequitantur,Omnibus adspirant in centrum appulsibus aeque.

Adde ut libratum venit undique partibus aequisPondere, momento, motu, virtute, locoque,Iustitiae capit inde vices et tempora, quidquidPartibus in variis consistere concupit unum,Compar, vicinum, coniunctum, continuumque.

Motibus e cunctis gyratio sola perennat,Dispensatque vices iusta super omnia lance,Atque obita in vultum certa serie aptat eundem:Quamvis in rerum natura circulus ullusNon cluit, iccirco quia circuit undique totum:Quandoquidem speciem natura haud spectat in unam;Atqui hasce innumeras appulsu perficit uno.

Quare non ullum compostum simplice curritIn gyrum tractu, varius siquidem impetus ultroAd varias tendit parteis, neque circulus est parImparibus totis accitisque impare fine:At scopus est eadem cunctis (servarier); hancqueCircuitu adtendunt, intendunt, adsequitantur.

Proinde et momentum naturae cuncticapacisIndicat ut campum non contrahat angulus ullumMarginis, at toto complexu fimbria tenta est.

Cumque quiete venit concurrens motus in ipso.Si quis enim gyro tantum movet ille quietumMobile, contrectat medium ne linquat, idemqueConsistat centrum punctoque in marginis omni.Praeteriti motus finemque, initumque futuriConcipit: iccirco motus est, atque quietisTerminus: unde quies toti est, motusque per ipsum.

Adde ut Naturai opus omne est circulus, omnisAppulsus, motus, vis, actio, passio, sensus,Cognitio ac vita: ut centrum est anima, ipsaque funditUndique per gyrum, in sphaeram seque omnia tendunt;Ut velut a sphaera in centrum se deinde receptent.Nempe anima a medio cordis membrum explicat omne,Principio, arcano de semine stamina mittens,Inde iterum relegenda suis verso ordine fatis,Ac certa rerum serie. Sic maxima et omnisVis posita in centro est rerum, est anima ipsaque centrum,Cuius (si quiddam est) totum explicitatio quaedam est.Simplice compostum a natura ac dicitur unumHocque ipsum: et quidquid per se consistere cernisDividuum, est non ens subiectum respicienti;Esseque nam parteis non sunt res ipsa, sed eius.

Circulus et rectum motum confortat, ut alteContendant gravia, et recta sublime ferantur,Per medium librata locum vacuumque penetrent,Quod pinnis undas, quod verberat aera pennis,Quod serpens relegit sinuoso corpore planum,Sublatis plantis quod terram circinat, illudCircuitu, dubio omne procul, pulsante movetur.Namque volae, pinnae, plumae, facilisque lacertiCirculus est verus, cum bina per aequora tendunt,Et sublata volant tepidi per inania campi,In quibus ad centrum vis est motiva relataOmnibus; ut centrum tota est essentia cycli.Areaque est fusi quaedam explicitatio centri;Immo et naturae tota est substantia centrum,Totum opus est cyclus, cyclusque est sphaera per omnesDiffusus partes, ipsum sine fineque totum:Sed varie in variis reperitur partibus idem,Quem maris explosus coram facit undique fluctus,Undique confundit dum totum, et singula gyrantTotius, occulto patet istud in aere per quaeIncertis levitate sua sunt lata per ipsumPulsibus; inque locis propriis quaecunque videnturPartibus, hac serie sunt excribrata perenni.

Sed quoniam purum nihil est, primordia praeterAc spacium, quod et haec, et quae ex iis omnia surgunt,Marginibus nullis formata concipit alvo,Evenit ut nullus sit verax regula cyclusCorporeo cum fit concursu principiorum;Progenitum cui irrequietum funereumqueIndictum est bellum. Ergo constantia lite,Qui poterunt certa et conformi sorte cieri?Qui poterunt formata dari geometrica amussi?An non haec adigit recta sensus violenti;Adversum recto fugiunt quia tramite, rectoqueAd propriam metam tractu peregrina meabunt?

GIRATIO

Ergo si punctum certum circumfluat alter,Aequa perpetuo abiunctum distantia ab illo;Prima monas simplex, dabitur tibi linea prima,Est cui egressus regressusque undique punctus:At planum primum ac minimum, si terminus unusRecte consistat, quem circum corpore totoDucta sui integre linquens vestigia oberrat:Hoc ad naturam, atque artem iuxta genus omneTu referas. Si quid fixa radice moveturContinuo tractu (comprendas quolibet ipsumMotorum in genere), ut contendit, et obviat aequeLinea, punctorum veluti vestigia linquens,Principium ad revoluta suum, nihilo impedienteMomento ac specie, divine facta subibunt,Et veluti fato fient comitante reperta.

At vero oblato deleti segmine cycli,Integrum proprio poteris describere campo,Si centrum primo invenias. Quod qua rationePerficias, paucis, et clara luce docebo.Scilicet, attingat geminus si circulus arcumPunctis in geminis; ubi demonstrare valebis,Dissectis chordis, contactus pervia puncta.Namque ubi contactus per punctum utrumque repertumAmborum centrum cyclorum fluxerit: ipsumIncurrit medium, siquidem illa in parte coibuntDefluxus gemini, centrumque erit angulus ille,Quem oblati extremum secure circinet arcus,Quem sensus probet, et constans finitio gyri.

CONTINGENTIA.

Et punctum cyclus quo cyclum, sphaeraque sphaeramAdtingunt, habeas, ubi centrum fluxerit huiusIllius in centrum. Atque uni concentricus alterMaiori minor esse potest, ubi terminus unumUtrisque est radii extremum. Ratio quoque certaInter se illorum clueat, si dimetrus huiusInventa est, quanta in ratione et dimetrus illa est.Sic valet ars quaecumque suis de partibus, unaVel de parte sui, ad totius signa venire.Ducit in integrum partis sapientia, parsqueVenit ab integro totius in ordine posta,Hanc bene si cyclus contingat et unus et alter.

COMPRENSIO.

Affinis dictae subit ars quae de tribus punctisObiectis, cycli rationem perficiendiExhibet: hoc tantum servato, ne via rectaPermeet hosce omnes. Facilis dehinc forma erit isthaec,Qua triquetrum quodcumque vales describere circaGyrum, ubi compertus tribus ex iis terminus aequeConstiterit distans: triquetrum quia perficieturPunctorum occursu triplici; quia deinde fluentePunctis a laterum mediis perpendiculari,Omnibus obtinget punctum concursus in unum,Qui in triquetrum cardo est, gyri centrumque repertum.

SIMPLICITAS.

De circuli analogia ad Monaden.

Ens unum formas rerum, vitam, numerumqueComplectens, Cyclo ac Sphaera sine fine notatur,Verum consimile atque unum, sibique undique constansDixeris id tantum quod ab omnibus partibus aequum;Nempe infinitum, in quo centrum sumis ubique,Corporeum et spacium cui Natura est super adstans,Nulla a parte absens, et tota in partibus cunctis.Circulus in rebus perfecte hanc indicat unus,Sphaeraque si motum spectemus, vimque meantem.Circulus est unus rigida super omnia legeFatum, quo et certa se contingentia iunguntLibertate, scopo interdum, statque omne necessum,Etsi naturae pugnent, mentisque voluntasHeic ubi non totum, sed particularia cernis.Lex una est qua per naturam fluximus alto ePrincipio, qua servamur, sensu, ingenioqueDonati vegetique sumus, quo deinde refluxuOccidua e regione altos redeamus ad ortus.Maximum est unus complectens omnia Cyclus,Maximus atque globus; quoniam sine finibus isteAtque ille est, cui immensa illa potentia et actusSunt unum, quia sunt quidquid valet effici uterque.Unicus est Minimum quia sustinet omnia Cyclus;Qui quia perfecte est internus in omnibus, atqueExtra ipsum nihil est, vere omne pro omne, et in omniCompertus: minimus quare est et maximus idem.Simpliciterque unum Spacium, Locus unus ob ipsumQuod sine marginibus datur ullis; namque nec ullaPersuadet ratio aut sensus, frustra ut siet istudImmensum in toto hoc, eademque omnino potestas,Ut vere non ulla sui pars plena putetur.Huic quoque ubi

detur centrum, quo verior esseCirculus apparet, cuius substantia centrum est,Et Spacium, et Corpus, Naturaque, Mensque, per unumSunt INFINITUM, sunt absque soluta per unumVerum simpliciter, quo mox sint omnia vera.Ergo infinitum signo duntaxat ab unoExprimitur, cuius medium capiatur ubique:Hoc itidem ratio, res, et vis nominisUNIVERSI, per sese ostendit; velut undique tantumObviat, et menti atque sibi. Virtus quoque AGENS quaeOmnia ad omme valet convertere, et omnia in ipsum;Omnia ut a cunctis manant atque omnia ab ipso,Omnia uti centrum sunt omnibus, omnibus ipse.MATERIES quam non minus est substare necessum,Quam valet efficiens super adstare: utpote tantumEt facere ille potest, quantum fierique potest haec:Nam nequit esse potens facere infinita sine ipsoQuod fieri infinita potest: contraque vicissim.Quare sese ultro sic concomitantur, idemquePrincipium statuunt vere, si rem altius, atqueMateriae nomen capias tu, quam Stagyrites.Possibile id totum quo aequata potentia totaActiva est proprio subiecto, atque esse potenti.Nempe ita materia est rerum substantia tota,Circuitu aeterno quae parteis tota per omnesUndique continuo cursu totum esse perambit.Et quoniam nihil est actu nisi quod queat esse,Nec plus esse valet quam possit ab efficientePerfieri: ergo unum sunt nota Potentia et Actus;Unicus amborumque, atque idem circulus exstat.Et quoniam satis est vulgatum ut Actus, et ipseFinis conveniunt subiectum prorsus in unum,Et logica hos tantum ratio distinguere suevit.In physicis speciemque ad unam cum efficienteSunt collata, velut naturae luce coactusDixit Aristoteles: Finis nempe actus agentisA simili similis Forma venit efficiente.Ergo aut principium capias quale est elementumCompositis, vel quod mage causae nomine dignum est,Perfectum, summum, per se ens, non mobile, totum,Omnia natura sunt et ratione sub unaPrincipium, Finis, Forma, Actus, Materiesque,Efficiens, Infinitum, super omnia Magnum,Ac Minimum, quod et haec ambo complectiturUniversum, atque exaequans spacium, lex maxima Fatum,Et Natura parens, Ensque Ipsum, Unumque, Bonumque,Ac Verum nullo prorsus discrimine distant;Singula seu inter se sint collata, vel omniaPluribus, lex iisdem, vel fiant singula cunctis.Utque sigillatim radiis est terminus unus,Atque idem punctus, cuius quoque fluxus habentur:Sic rectis cunctis finis per singula centrum est,Ergo etiam plano, et solido, in quod defluit istud.Circulus inde monas genera explicat omnia primo,Circulus ut simplex centrum implicat omnia, cum sitQuidquid et esse potest, ergo et substantia rerum est.

SCALAE MONADIS

PRIMUS ORDO.

Unum est spacium, Magnitudo una, Momentum unum, cum possibilitate, atque potentialitate infinita, infinitum.

Una prima Essentia, una prima Bonitas, una prima Veritas, qua omnia sunt Entia, Bona, Vera.

Una Mens ubique tota, omnia mensurans, unus ubique omnia ordinans Intellectus, Amorque unus omnia omnibus concilians.

Alvus unus omnia concipiens, Aeternitas una simul atque perfecta omnia possidens, Tempus unum motus quietisque omnis mensura.

Una omnium specierum, et actuum Idea, Verbum unum omnis emanationis expressivum, Necessitas una omnia definientis Fati.

Omnium procedentium primum unum principium. Una omnis effectus prima causa. Unum omnium consistentium Elementum.

Una infinitudo omnia finiens. Una prima omnium Mensura. Unum Infinitum omnia conplectens universum.

Monas una omnis numeri substantia, Una prima Dias omnia distinguens, oppositio. Unum primum omnium oppositorum commune subiectum.

Intentio una omnia disponens. Finis unus ad quem omnia conspirant ultimum. Medium unum per quod omnia consequuntur.

Motor unus omnibus vicissitudinem praebens, Actus unus omnia perficiens, una omnia vivificans Anima.

Nomen unum omnia significans, Ratio una omnia considerans, omnia unus desiderans Appetitus.

SECUNDUS ORDO.

Unum veluti centrum est individuum, ex quo et de quo originaliter omnes species veluti diversarum innumerabiliumque linearum effluxus esse cognoscimus: ad quod item et in quod sese recipiendo reducuntur. Unus in Megacosmo sol omnia illuminans, et vivifico calore irradians, velutque in medio residens Nympharum Apollo. Unum Templum, seu Area, ubi tot Numina admirabilem sine intermissione choream celebrant. Aer unus omnia circumtemperans. Unus humor omnia suffundens. Una Lex omnia coordinans.

II. Vestam in centro et meditullio Telluris collocatam ex intentione Pythagorae definiunt, et eiusdem numen, animam, atque vitam esse intelligunt: unde significanter in Prytaneo ignis ad aram inextinctus servabatur. Unum in quocumque globo centrum est et quasi punctum, ad quod omnis circumstans virtus directa pervadendo penetrat; quemadmodum ad centrum usque Telluris, syderum omnium radios influere existimant Platonici; ibidemque tanquam uno in medio fortissimas esse et efficacissimas omnes impressiones. Ob idque ipsum divitias, totam per mundi regionem circunferentialem sparsas, ibi congregatas unitasque; exindeque illum Pluto, Ditique, divitiarum Deo, locum adsignarunt.

TERTIUS ORDO.

I. Unum in Microcosmo centrum est cor, a quo per totum animal spiritus vitales egrediuntur, in quo arbor universa vitae figitur et radicatur, et ad cuius primitivam custodiam et conservationem referuntur. Unum cerebrum omnis motus principium atque sensus. Unum os, universalis attrectationis organum. Unum Epar nutriminis amphitrites.

II. Uno in medio vehementior est omnis efficacia, tum quia recti undique stant ad centrum radii: tum quia in angustum et individuum omnes colliguntur: hoc est unum in quacumque figura, atque figurato medium. Monadem vero istam in omni perfecte composito invenimus, et agnoscimus. Hanc secretioris philosophiae contemplatores agnoscunt, et operando pro viribus persequuntur. Ubi quippe non punctum attingere posse datur, ibi ad minimum, vel circulum, vel sphaeram, tamquam ad unitatem, contendendo respiciunt: ubi de unitate desperant, unionem moliuntur. Isti vero, sicubi contrarietas obsistit, cum unius uno symmetriae ordine contemperant.

III. Hoc est circulo aequidistantiam illic attentare, ubi indistantiam, et simpliciorem materiei conditio non patitur unitatem: virtus quippe omnis in unitate est aeterna et infinita, in simplicitate stabilis atque perennis, unione augetur, dispersione minuitur.

IV. Ita composita omnia atque coordinata in sphaericum, in circulum, in individuum (quem simplicissimum diximus esse circulum) centrum, atque monadem pro viribus absolutiorem revocantur.

V. Sic specula urgentia, ea qua in centrum unum radii colliguntur unionis virtute, efficimus: sic ad omnium efficaciam miraculorum in libro, qui Sigillum Sigillorum dicitur, quindecim contractionis species explicavimus.

VI. Non temere ergo heic primum cum Pythagoricis, philosophiae huiusce arcanum concludemus, Unitatis nempe naturam a centro ad circumferentiam remigrantem, et ad centrum a circumferentia migrantem, dare Temperiem compositis, Sanitatem corporibus, animis Virtutem, domibus Laetitiam, civitatibus Pacem, imperiis Fortitudinem, temporalibus Diuturnitatem, mundo Vitam, omnibus Perfectionem.

## CAPUT III

DIADIS FIGURA DIGONUS.

Ut monas est rerum cunctarum essentia tota,Constituens numeros, iterumque iterumque resumpta,Par impar, multum paucum, maiusque minusque;Cum dias accessit primum, meliusque bonumque,Immo bonum atque malum prima est ab origine fusum.Haecque dedit numeris fundamina prima, quibus sintHinc alid, inde aliud; subiecta, obiecta; reiecta,Adiecta, hinc nusquam est toto concordia concors,Quando tibi, atque mihi veniunt distincta tuumqueAtque meum; duo si tantum sint entia vere,Unaque subiecto natura feratur utriqueCommunis; qua sunt unum, ens, verumque, bonumque,Efficietque hoc atque illud subiectio quaedam.Linquitur a diadis partu solidaria primumOmnipotentia, principio est hinc materialiAppropriata dias, siquidem hinc est sectile primo.Abdita percallens Babylonum oracula Moses,Dum quanam serie fabrefacta est orbita rerumExplicat, et typico designat cuncta tenore,Velat et arcano mysteria plurima sensu,Distinguens senis naturae opus ille diebus,Concelebres bonitate facit multa ac benedictosQuinque alios; nulla insignivit laude secundum,Qui numeri est orsus, monadisque est primus aborsus.Ergo si Cyclo Cyclus primo adiiciatur,Nempe ubi dat punctum pro centro in margine quodvis,En subit adverso vultu actus differitatis,Filius atque pater, subiectum foemina, masqueFoecundans, simplex compostum, disque gregatumConcretumque: cluit ratio propria et generalis.Pars totum, simplum duplum; sursum, atque deorsum.Ante retro, internum externum, dextrum atque sinistrum;Millia quae mox sunt positis fundata duobus,Millia quae secum advectat substantia bini.Perficitur reliquum extremum cum circuit alterUsque ad infernum occursum, occursumque supernum.Dividitur primum in geminas data linea parteis.Huius ope, hinc Monadi accedunt divortia prima.

COORDINATIO PYTHAGORICA

DIGONI ANALOGIA AD DIADEM.

Naturae immensae speciem si concipis unoIntegro, hinc horrens, tibi blanditurque Potestas,Illinc crudeli est Actus vultuque benigno.Illinc subsistens fulcris Substantia nullis,Hinc toto Accedens quod corpore iungitur illi.Materiesque sinu constat patula inde peramplo,Hinc Forma e gremio illius quae venit ad ortus.Perpetua est cum materia Constantia, cumqueForma non ullo ac certo Mutatio fine.Stantia compatitur similem secumque Quietem,Ut varia adverso gaudet mutatio Motu.Illuc proque statu tendit Generatio sancto,Huc repetit vultu Corruptio avara molesto.Illa est pura, manens, nuda, et substantia Simplex,Composita haec nexu consistens principiorum,Illic non ullam promit distinctio Litem,Hic minime verum ingignit Concordia amorem.Pertinet ad partes meliores Congregatum,Interdumque malas partes Secretio tentat.Proveniens a pleno Effluxus continuoque,Influxu vacuum partes glomerantur in orbem.Infinitum illinc, idemque per omnia finis,Atqui heic Finitum proprio sine fine videtur.Perpetuo molem Addenti, et numerum adiicienti,Nulla indicta quies illinc; heic DiminuentiAd monadem atque atomum tandem resolutio facta est,Et Multi et Pauci specie. Sed Materies heicConstituit Numerum, Monadis viget imperium illic.Par hinc ad numeri regionem inclinat; at illinc,Quaelibet hinc orta est, matrem monadem petit Impar.Densum ut consimile est Pleno, consors quoque sede est,Et Rarum Vacuo. Latere est Defectus ab isto,Ex illo Excessus. Nativa in sede repertum id,Hocque Peregrinum. Varie hinc actum istud et illudAppulsu, haec Gravis atque Levis, Circum illa Rotantis,Quae Fluxu nobis Circumfluxuque notantur.Praeterea genera illa vides Aeterna, sed istaDecreto adscriptas metas in Tempore norunt,Inque loco Praesens Absens, Longe atque Propinque;Normaque continui Planum Solidumque tuetur,Finibus atque suis Rectum, Curvumque figura.Rursum complexu gemina inspiciuntur in uno,In quo hinc Archetypum est, illinc est Sensibile omne.Illinc disponens est Prospicientia, Fatum hinc.Sique hoc suppostum, quod habet prudentia, seclum est,En duo, Lux candens, Tenebrarum et vultus opacus.Vivificus Color inde venit, Frigusque ignavum hinc.Inde Maris species, imberbe hinc Foemina vultu.Illinc flammigerum media iaculatur ab arceSol radium, hinc Tellus vario se fertilis orbeInvertens circum, vitalia secla revisit.Heic vegetat Sensus, Mens forsitan amplius illic.Fingere fortunam, et complexu si lubet isto,Ad votum placido est ibi Delectatio vultu,Sordida Tristitia hic stat moesto segnis amictu.Mentis et obiectum tibi si adfingatur, habebisInvolucra heic Falsi, Verum in regione remota.Inde oculis Pulchrum, Turpe hinc offertur; et indeConsona cuncta cluunt, hinc Dissona iudice sensu,Compostum ut quodcumque genus tandemque notatur.Sic geminus primi est discriminis angulus index:Quandoquidem genus omne duo in contraria primaScinditur, et ramos binis dat sectio membris.Fortasse ad numerum innumerum submultiplicandoPrivatum, oppostum, Contrastans, atque Relatum.

SCALAE DIADIS

PRIMUS ORDO.

I. Dias ex Monade, (ut ex fluxu puncti linea) procedit. Sic essentia fluens in aliud, facit esse. Bonitas se diffundens facit Bonum. Veritas seque explicans facit Verum. Unde primus (vel simplicissimorum) numerus est de Essentia, et esso compositio. Itaque et ratio duplex, hinc quidem Formae, inde Materiae. Hinc Principii, inde Principiati. Hinc Perficientis, inde Perfectibilis. Hinc Unius, inde Alterius.

II. Bimembris quoque prima est uniuscuiusque generis divisio. Omne oppositionis genus duos tantummodo terminos primo per se complectitur. Unum quippe correlativum uni relativo, uni dicto contradictorium unum, contrario uni alterum contrarium, ulli potentiae unus opponitor actus.

IV. CONSTAT ERGO

PRIMA DIVISIONE ENTIS NATURA, SIT UT

1 Absolute *vel* Respective
2 Absolute *vel* Contracte
3 Absolute *vel* Conditionaliter
4 Absolute *vel* Modaliter
5 Actu *vel* Potentia
6 Primarie *vel* Secundarie
7 Primitive *vel* Derivative
8 Principaliter *vel* Accessorie
9 Per se *vel* Per aliud
10 Per se *vel* Per accidens
11 Accidentaliter *vel* Substantialiter
12 Substantive *vel* Adiective
13 Simplex *vel* Compositum
14 Corporaliter *vel* Incorporaliter
15 Immateriale *vel* Materiale
16 Bonum *vel* Malum
17 Definitum *vel* Indefinitum
18 Simpliciter *vel* Dupliciter
19 Infinitum *vel* Finitum
20 Formatum *vel* Informe
21 Necessario *vel* Contingenter
22 Universaliter *vel* Particulariter
23 Necessarium *vel* Contingens
24 In omnibus *vel* In quibusdam
25 Seriatim *vel* Turbatim
26 Ordinate *vel* Inordinate
27 Distincte *vel* Confuse
28 Discrete *vel* Indiscrete
29 Sigillatim *vel* Simul
30 Successive *vel* Eodem tempore
31 Unite *vel* Disperse
32 Coniuncte *vel* Adiuncte
33 Possibiliter *vel* Impossibiliter
34 Implicite *vel* Explicite
35 Immediate *vel* Mediate
36 Intrinsece *vel* Extrinsece
37 Naturaliter *vel* Voluntarie
38 Obiective *vel* Subiective
39 Recte *vel* Oblique
40 Affirmative *vel* Negative
41 Punctatim *vel* Large
41 Vere *vel* False
42 Penitus *vel* Quodammodo
43 Perfecte *vel* Imperfecte
44 Praecise *vel* Pro modulo
45 Deiunctive *vel* Positive
46 Praedefinite *vel* Promiscue
48 Regulariter *vel* Irregulariter
49 Separabiliter *vel* Inseparabiliter
50 Realiter *vel* Significanter
51 Taliter *vel* Aliter
52 Tam *vel* Quam
53 Inaniter *vel* Plene

54 Vage *vel* Certe
55 Immobiliter *vel* Mobiliter
56 Occulte *vel* Evidenter
III. SECUNDUS DIADIS ORDO.

Inde in duobus (Substantia scilicet et Accidente) entis est analogia. Duplex Potentia, Activa scilicet et Passiva. Duplex Actus, Primus et Secundus. Duplex Perfectio, Simpliciter et in Genere. Duplex Intellectus, Activus et Contemplativus. Duplex Voluntas, Naturalis et Rationalis. Duplex Relatio, Aequalitatis et Inaequalitatis, Duplex Actio, Immanens, et Transiens. Duplex Passio, Perfectiva et Corruptiva. Duplex simplicis apprehensionis actus, Intentio et Conceptio.

IV. TERTIUS DIADIS ORDO.

Exinde Duae in nobis Animae, Duo Daemones, Duo Genii, Duae Leges, Duo contrarii Appetitus, qui duas potentias apprehensivas, sensum videlicet et rationem, consequuntur, Sensitivus seu Animalis, et Intellectivus seu Rationalis.

V. Duae Veneres, Caelestis et Vulgaris. Prima ex Coelo sine matre. Secunda ex Iove et Dione. Inde Amores gemini, Patiens, cuius fortuna consistit, in Ero et in Antero, et alter Agens cuius felicitas est super Erum et Anterum. Proinde, ut docuimus in Sigillo Sigillorum, variae sunt Amoris species, ut varii fidei sunt, et imaginationis, actus. Exin duae geniturae species, altera ex coitu evidenti, altera ex occulto (nihil enim sine coitu genitur). Nam et virtute imaginationis et praesentis materiae ingignuntur in animalium corpore, vel potius contrahuntur tum novae species, tum novi furores, et intelligentiae, interdum calodaemonum et numinum, interdum Lemurum et Furiarum, interdum Medioxumorum, ut ad praxim usque exacte comparandae rationes in proposito Artis notoriae et aliarum, per Sigillum Sigillorum expressimus.

VI. Ac tot sunt species Amoris iuxta proximas differentias, quot et bonorum, et entium species: ideoque non simpliciter, sed huius vel illius respectu, omnis species, et particulare, bonum est atque malum. Cuique enim definito hinc est definiens dextrum, inde sinistrum. Hinc quippe Amor est, inde Lis: Hinc Congregatio, inde Segregatio: Hinc Densum, inde Rarum: Hinc Ordinatio, inde Deordinatio: Hinc Lux, inde Tenebrae: Hinc Calor, inde Frigus: Hinc quibusdam generatio, aliis corruptio: Hinc quibusdam corruptio, aliis generatio, et ea quae generationem antecedunt, generationi circumstant, et generationem consequuntur atque corruptionem, similiter e regione sub gemino principe capite suscipiuntur.

In libro quoque de rerum imaginibus (volente Deo) explicabimus, ut quaelibet res duos habet, dextrum sinistrumque, Genios, eosque active vel passive, et secundum plurimas, in prima entis divisione et diadis, ordine differentias. Ut dextritatem, sinistritatem, malignitatem, et benignitatem, libertatem, et servitutem, exaltationem, et depressionem, directionem, et retrogradationem, nocturnitatem, et diurnitatem, et in moventibus planetis, et in fixis indicatoribus observarunt.

VIII. Et in libro de principio, causa et uno, ostendimus ut tum in compositis tum qualificatis quomodocumque omnibus, gemina habeantur coniunctissima contraria non minus quam in summis venenis summae medicinae, in optimis nutrimininibus laesiones, in ipsa morte est ipsa vita et nativitas. Quidquod, et unum quodlibet, absolutione, respectu, tensione, contractione, prasentia, absentia, conversione, adversioneque fit duo, fit diversa, fit contraria, fit contradictoria.

## CAPUT IV

TRIGA ENTIS

Ad Triadem Analogia Trigoni.

Sensibus hinc triadis succurrit clara figura;Nam veluti species numeri ternarius omneisComprendit primum, quia par hic primus, et impar,Atque monas per se existens, genus efficiensque,Distinguens variisque modis speciesque propagans;Sic triquetri de fonte venit genus omne figurae,De quo composta, atque in quem resoluta reperta est.

Proinde ubi per monadem species comprenditur omnis,Mox, diade adiecta, formam nil servat eandem;Sed primo hoc maius fit idem, quo deinde per imparContinue crescat, minimo triadisque propinquatE regione magis; velut undique fit manifestum.Treis siquidem partes sunt, quae servando figuramConsimilem, similes parti primae adiiciuntur.

Dicere praetereo ut rationes principiorumEt medii et finis cunctas sibi vendicet ipsa,Corporea in specie, ad mensuras, atque figuras,Pro quibus et dicenda manent, et diximus ante.

Ut trias in specie generali perficit omneQuod venit in lucem, quae et productoribus primum est,Mens, Intellectus genitus Nexusque duorum;Nempe Bonum, atque Boni genitus, mundanaque vita.Mens genitrix prima, Intellectus progenitusquePrimus, Amor, magnum quem daemona nomine dicunt.

Non aliud prima est effundens cuncta Potestas,Et totum in toto moderans Sapientia prima,Ac bonitatis Amor totum sine fine profundens.

Ad superos huic succedit trias alma reducens,Mercurius divum interpres, sensata facultas;Ingenii fulgor, rerum consultus Apollo;Sollicitum votum, genitrix Amathuntia nostri.

Unde expressa trias Veri, Pulchrique, Bonique,Ut blandis Paphiae, Charites, complexibus haerent,Plaudendentes seclo, vultu facilesque benigno,Quas mihi descripsit vates, cui Mantua nomenImposuit. Prima illarum est Aglaia decoroLaetitiam prae se ore ferens, secumque ThaleiaCincta sacrum viridi strophio caput, EuphrosinequeLaeta genas, laeta os roseum, vaga lumina laeta.

Has contra, duro aspectu, legisque severaeIudiciis tractant immites stamina Parcae,Quarum dat Lachesi rerum sortitio nomen,Et mediae Clotho circumvolutabile seclum,Horrendaeque Atropo minime revocabile fatum.

Simpliciter primo est Essentia cuique tributa,Quam sequitur Virtus, et forsan concomitatur,Inde Opus egreditur, quo forma emittitur extra;Aut immissa venit, si nuda est Actio mentis.

Triplex est actus, Simplex Apprensio primus,Simplicium sequitur Complexio prima secundus,Discursus tandem atque Argumentatio prompta est.

Distinctum est Minimum substentas omnia solum,Non aliud Magnum est infinite omnia adaequans,Maximitas fines rerum, quae continet, una est.Aequale aut Minus, aut Maius sunt omne relatum,Linea continui est species, Facies, Solidumque:Par, Monas, atque Impar numero est substantia tota.Immenso est atque idem Longum, Latum, Profundum,Naturaeque scala est Imo, Medio atque Supremo.Praeteritum, Praesens vehit instans, atque Futurum.Heic Actus purus, Mixtum, atque Potentia pura.Cunctorum formae Ideae, Vestigia, et Umbrae.Ante omne Inque omni, nempe et Post omne reperta.Praesidet heic Natura parens, Violentia, Fatum.Spectandum, Formidandumque, ultroque Petendum.Efficiunt totum Casus, Natura, Voluntas.Dat triplicem mundum Deitas, Natura, Mathesis.Hinc tria principia emanant Lux, Spiritus, Unda.Est animus triplex Vita, Sensu, Ratione.Unde, et Qua, et Quorsum cognoscit mobile totum.Subiecta Apprendunt, Retinent, Mittuntque retenta.Si Effectum spectas, et Votum, et Cognitionem,Subiectum, Obiectum perquiritur, atque Facultas;Principium, Medium, Finis; Sensus, Ratio, Mens.ANNULUS APOLLINIS

Principium, Medium, Finis, Sensus, Ratio, Mens,Circulus est medius constans sex partibus, atqueFinibus: ut sensus primo circumfluit ipsumPrincipium integre, Ratio Mediumque, supernusFinem Intellectus; venit extimus angulus indeTriplex, e quibus est simplex apprensio primus,Simplicium signat complexio prima secundum,Discursus reliquum. Triquetrum sic circulus extraSuscipit adscriptum. Qui sic inscribitur inde,Principium Finem si circumflexerit, atqueSi videat Medium se circumcurrere finem,Et pariter centrum Medio sit denique Finis;Illa figura tibi venit obvia, quae indicat alteNexum, multiplicem trigam, concurrere in unum.

CHARITUM MENSAM DELINEO

Adverte in Charitum mensam tua lumina, quandoEst animus certa serie formare figuras;Ordineque oblatum certo dispescere campum.Huc ratio adtendat quoties meditatur amussim,Qua possit triquetro partes inquirere plani.Adverte in Charitum mensam tua lumina, si visConiectare vias causae qua sacra Sacerdos,Et quicumque magus, divos meditatus honores,Ritus prosequitur sacros, ritusque prophanos.Ternum olim numen, Saturni semine cretum,Confinxit Graium relligio, quo favor omnisE caelo, eque mari succederet, eque profundo,Imperio Plutonis, Neptuni, et Iovis alti.

En heic tres gyri, quorum haec sunt numina, centro,Quod recta triplex triplici connectitur, usqueAd finem a fine, attingente: ut finibus indeNectantur ternis: reliquos dehinc iungere finesPerfacile est, una semper constante figura,Adnecti centrum centro, orbi orbem, triquetroque;Ut varias triades vario sub nomine gentesUsurpant: numeri tanta est praestantia trini:Mercurium aligerum terna haec pervadere regna,Ut contemplandi triplex genus est et agendi.Caelorum terna est regio; terna aeris; undaeDiscrimen ternum; telluris terna potestas.Et ternae genti ternus datus est Patriarcha,Cum peperit Tellus genitrix animalia, primumEnnoc, Leviathan, et quorum est tertius Adam;Maxima Iudaeae ut credebat portio gentis,Cui erat ex Uno tantum generatio sancta;Per totidemque (ferunt omnes) generatio rursumEst renovata Noah de progenitore, (sub undisSubmerso seclo) Semum, Chamum, atque Iapetum;Terno conatu, terni sub stramine montis,Iurarunt terni fratres rescindere caelum,Nixantes Pelio Ossam imponere, et altum Olympum,Quos triplici extructos disiecit fulmine montesIuppiter; et fratres Caeum, Iapetum, atque Typhoea,Quos triplici partu Tellus enixa nefando est,Edomuit, ternas tunc protulit Eumenidesque,Atque orcum terno quo non satietur hiatu.Vota hominum triplici obiecto variantur, ut uniPlus alii inclinent: Iuno, Pallas, Venus urgent,Aut det maiestas, aut scire, aut blanda voluptas;Divitiae, aut Sophia, aut est delectatio cordi.In tribus est nulli largitum excellere posse;Nam cui scire datur, non collargitur habendiSors aut cura; quibus data copia, non datur usus.Sed quam plus pulchro ac iucundo pelliciunturCorda hominum, Paridis sapienter fabula monstrat.Terno functorum excutitur sub iudice causa:Statque triceps Hecate, umbrarum regina perennis:Vestibulumque triceps observat Cerberus orci:Ter manes, triplicique manu, veniuntque vocati,Ter valles resonare cavas (si ad vota magorumAdstiterint) faciunt: quando tria vincula nectunt.Ter sibilant, tria vota ferunt, ter circuit arasVictima, terque premunt submisso poplite terram,Thuricremos et igneis saturant ter, terna colorumApparet facies, numero hoc deus impare gaudet.Funiculus triplex facile haud rumpetur; ut et tresIn caelo, in terris, testes sunt, atque profundo.Et terno mundus recta discinditur orbe,Magnaque Telluris facies, sacra terque sacerdosLustrat, ter flammis, ter aqua, ter sulphure, terqueSe vertit, ternis et hiatibus ora resolvit.

SCALAE TRIADIS

PRIMUS ORDO.

[I.] Tria Platonicis et Pythagoricis sunt indistincta principia, UNITAS, VERITAS, BONITAS. Per Simplicitatem enim Unitatis et Bonitatis Veritatem: In simplici Bonitate et Unitate Veritatem: Et cum simplici Veritate et UnitateBonitatem agnoscebant. Una enim est Lux quae vera est et bona, id est simplex. Eaque ipsa bona est Lux quae una et vera, id est cui nihil admixtum et adiectum. Vera tandem est Lux quae una atque bona; utpote sibi suoque uni principio.

II. SUPER Unitatem nihil est quia nihil illa potentius, non est quippiam sine Unitatis participatione potens, neque ipsa est quae participat, sed quae participatur ab omnibus, quae unum, vel unita, vel multa sunt. SUPER Veritatem nihil est: illud quippe, nisi et ipsum verum sit, quid esse potest? Quod si verum est, veritatis (quam ideo super ipsum esse oporteat) participatione verum est. SUPER Bonitatem nihil: simplici namque et absoluta Bonitate si quippiam melius esset, idem quoque illa superius intelligeretur. Superius autem non nisi maiori Bonitatis participatione. Atqui non est Bonitas, cui aliqua Bonitatis portio superadditur.

III. TRIA haec se invicem concausant in effectibus. Rebus enim Primo est Veritas ab Unitate; nihil enim vere est nisi sit unum. Secundo Bonitas a Veritate: non est enim Bonum hoc aliquid, nisi sit vere hoc aliquid. Tertio unitas a Bonitate, neque etenim est unum hoc, idest, simplex, nisi constet absolutum et immixtum. Sic vicissim Primo unitas a Veritate. Secundo veritas a Bonitate. Tertio Bonitas ab Unitate.

IIII. Trias haec in secundae triadis actum procedit, quae est ESSENTIA, VITA, et INTELLECTUS. Essentia enim convertendo se ad omnia, respiciendo omnia, et communicans se omnibus, vitam parit, ut deinde excellentissimus vitae effectus, vel etiam vitae prima species exstet, Intelligentia.

Essentia enim comparatur substantiae Solis, Vita luci in Sole, Intellectus lumini a Sole diffuso sive procedenti. Sol generationis mutationisque omnis pater in ternario est, potest, operatur; in vestigio, speculo, umbra; per aerem, nubem, vaporem. Ad subiectum per medium ab obiecto, in Iride tres principes medii colores, trina in pareliis ab uno species supposito. Discurre cum huiusmodi analogia per naturae scalam, quia multiplex ibi Sol ut intellectus agens, sensus agens, ratio agens, anima; vita Luci in Sole; intellectus Lumini a Sole diffuso, sive procedenti.

Essentia in substantia Solis comparatur Spiritui. Vita in luce quae in Sole comparatur Flatui. Intellectus in lumine quod a Sole comparatur Verbo.

Essentia spirans est Anima. Flatus vitalis est Virtus animae omnibus infusa. Verbum Intelligentiale est actus illius virtutis, quae a supremo, infimum ad usque pro sua capacitate disponendum, formandum, perficiendumque, pertingit.

SECUNDUS SCALAE

TRIADIS ORDO.

I. Triplex subinde Bonum, in figura Ternarii, Triangulo sensibiliter accipimus descriptum. In supremo angulo ARCHETYPUM, in dextro PHYSICUM, in sinistro RATIONALE, seu ethicum, fusiore significatione sumptum. Primum est absolutum supra, extra, et ante res. Secundum adnexum rebus, in rebus, cum rebus. Tertium post res, infra res, abstractum a rebus.

II. TRIPLEX pariter in eisdem terminis Pulchritudo. Prima in ratione INTELLIGIBILIUM. Secunda in Symmetria VISIBILIUM. Tertia in harmonia AUDIBILIUM. Illam triplex consequitur Amor: METAPHYSICUS seu divinus, PHYSICUS seu Magicus, MATHEMATICUS, seu Logicus, nomine latius significante. Et sub hoc triplici doctrinam eorum calle incedentem iactant Hebraeorum sapientes CABALISTICO nempe PHILOSOPHICO et TALMUTICO. Primus callis formatur ternario altae REVELATIONIS, clarae CONTEMPLATIONIS, ornati CULTUS. Secundus Veritate DOCTRINAE, Bonitate MORUM, Rectitudine OPERUM. Tertius auditu LEGIS, Notatione EXEMPLORUM, Regula PRAEDICANDORUM.

III. In Primo (ad quem triplex iste callis adducit) campo, Anima est veluti supra Fatum; In Secundo est ut in Fato: In Tertio est tamquam sub Fato. In Primo est ut in dominio. In Secundo velut in libertate. In Tertio tamquam in servitute.

IV. In trium horum infimo gradu (inquiunt Platonici), quo minus a Fato conculcetur, Anima communi certa Dei notione atque Fide divina quadam se ipsam similitudine configurat. In medio quominus cum Fato discurrat et obambulet, tota ad Deum cogitationis intentione contendit. In supremo quo super Fatum melius adtollatur, eminentioris cupidinis facibus inflammata in Deum superamando transfertur. SIC postquam in infimo statu Deus illi influxit: et in medio afflata est et adimpleta: in supremo arctioribus efficacioribusque vinculis copulatur. In infimo audit, In medio intuetur, In supremo possidet.

V. HISCE tres malorum gradus praeiudicium faciunt, In infimo MATERIA, In medio corporea FORMA atque qualitas, In supremo possibilitas quaedam praevaricativa, animae innata: illam efficiens a supernis converti et adpulsum capere ad inferna. Quas circa, tres animae vires conversantur, CONCUPISCIBILIS infima, IRASCIBILIS media, RATIONALIS superna. Inde tres vitae consequuntur, FERINA infima, HUMANA media, HEROICA superna, ubi ratio ad apicem mentis adtolletur.

VI. Infimae dicitur praeesse VENUS, Mediae IUNO, Supremae PALLAS, praecipue: tria nempe haec numina etiam sigillatim tres omnes vitae gradus (licet singula unum principalius) attingunt. PALLAS tres Intellectus illuminat operationes, APPREHENSIONEM, COMPREHENSIONEM, et DISCURSUM. Dat item triplicem intellectum, POTENTIAE seu possibilem, IN HABITU, et IN ACTU. Ad quem tribus ad omnem artem necessariis reddimur habiles, faciles, et potentes, nempe INGENIO, DOCTRINA, et EXERCITATIONE. Unde consequenter ad triplex bonum erigitur affectus, IN NOBIS primum, IN IDEA medium, SUPER IDEAM summum.

VII. IUNO regulat tres sensitivae potentiae facultates, APPRENSIVAM, quae fit per sensus externos et communem: COLLATIVAM seu comparativam, quae per Phantasiam, Imaginationemque fit; et RETENTIVAM, quae fit per Memoriam.

VENUS tres vegetativae potentiae regulat virtutes, NUTRITIVAM, AUGMENTATIVAM, et GENERATIVAM. Quarum, Generativa habet tres vires, Spermaticam seu SEMINATIVAM, Immutativam seu CONTEMPERATIVAM, et Formativam seu FIGURATIVAM. Vegetativa tres, ATTRACTIVAM, RETENTIVAM, DIGESTIVAM. Augmentativa tres, Partium scilicet peregrinarum INFLUXUM, TRANSMUTATIONEM, et INCORPORATIONEM.

VIII. Triplex demum animae a tribus hisce numinibus inseritur appetitus. A Venere SENSUALIS, a Iunone RATIONALIS, a Pallade INTELLECTUALIS. Pallas dat animae separatae CONTEMPLATIONEM, Iuno ACTIONEM, Venus VOLUPTATEM.

IX. Tria item haec numina tres vitae elargiuntur duces: PALLAS RATIONEM diligenter examinantem: IUNO EXPERIENTIAM rerum consuetudine confirmantem: Venus eam, quae neque decipiat neque decepta fuerit, AUTHORITATEM.

X. TRIPLEX item est caeli Fortuna, unde diligenter Magi et Astrologi gratias requirunt, IUPITER, SOL, VENUS: hanc tres speciosissimae se invicem complectentes puellae referunt, quarum nomina sunt VIRIDITAS, LUX, LAETITIA.

XI. Tresque super mundum Zoroastrici Persaeque omnes Philosophi, principes nominarunt, OROMASIN, MITRIN, ARIMANIN: pro quibus fertur eos intelligere DEUM, MENTEM, ANIMAM, vel Dei VIRTUTEM, Mentis ORDINEM, Animae MOTUM. Deus enim vivit, Mens ordinat, Anima movet.

TERTIUS SCALAE

TRIADIS ORDO.

I. Ascensum proinde atque descensum ad cursum, atque recursum, in fluxum, atque refluxum, in analogia trium animae specierum contemplemur: Influit enim Anima MUNDI in animam SPHAERARUM, et haec in animam ANIMALIUM caeterorum. Et a tribus supramundanis causis EFFICIENTE, EXEMPLARI, FINALI (quae ad unum duntaxat ordinem reducuntur) tres formae gradus educuntur: In corpore simplici, In corpore composito insensibili, In corpore composito sensibili, NUMINUM, DEMONUM, HOMINUM. Tria sub iis sunt Spirituum genera, IRRATIONALIUM, RATIONALIUM, INTELLECTUALIUM; quorum Intellectuales influunt in Rationales, Rationales in Irrationales. Quam distinctionem ab actu expresso, proximaque illi ex concessis organis potentia, non ab ipsa natura atque substantia una, se omnibus iuxta diversos numeros communicante, desumimus.

II. In rebus quippe Intellectus ille distinctor, distributor, et ordinator tria oculis ratiocinii contemplanda proponit, MOMENTUM substantiae, MULTITUDINEM proprietatum, et MAGNITUDINEM operationum. Rursum SPECIEM, NUMERUM, et MODUM, unde tria deduci asserunt ingenia, Platonici. Ex Specie PHILOSOPHICUM, Ex numeris MUSICUM, Ex Modo AMATORIUM.

III. In triplici corporis sede (quo omnia illi pervia fiant) tres vires exercet Anima. Prima vis immortalis atque divina RATIONALIS in corporis arce tamquam in caelo sedem sortita, liberior a materiae fluctuantis impulsibus enituit, in capite videlicet, cui, tanquam in eminenti regione consistenti administrantia, reliqua subordinantur membra. Secunda ANIMALIS circa cor atque pulmones, ubi ignis et aeris, mediae veluti regiones, contemperantur. Tertia NATURALIS, materiae prorsus captivata facultas, quae circa renes et epar, ubi humida et terrea substantia praedominatur, est infixa.

IV. TRIADES NUMERO, MAGNITUDINI, ET MOMENTO SUBORDINATAE.

Habemus communiter in genere Quantitatis, iuxta omnes scilicet, acceptae, rationes atque modos, Ternaria.

### Terminum

Partem
Totum.

### Nihil

Aliquid
Omne.
Comprehendens Comprehensum
Adacquatum.

### Deens

Suppetens
Superens.

### Finem

Finitum
Infinitum.

### Penuriam

Facultatem
Divitias.

### Inopiam

Copiam
Opulentiam.

### Parcum

Moderatum
Fusum.

### Humile

Magnificum
Superbum.

### Saltem

Omnino
Ultro.

### Avarum

Liberale
Prodigum.

### Sterile

Frugiferum
Foecundum.

## Compendium

Expendium
Dispendium.

## Decrementum

Consistentiam
Augmentum.

## Abiectum

Subiectum
Adiectum.

## Subtractum

Insitum
Additum.

## Deficiens

Sufficiens
Abundans.

## Distinctionem Divisionem

Unionem.

## Positionem

Comparationem
Superlationem.

## Imparitatem

Paritatem
Superparitatem.

## Defectum

Mediocritatem
Excessum.

## Remissum

Competens
Excellens.

## Mancum

Integrum
Nimium.

## V. NUMERO SUBORDINANTUR.

## Unitas

Dualitas

Pluralitas.

## Singularitas

Paritas
Imparitas.

## Singulariter

Dupliciter
Multipliciter.

## Sigillatim

Cumulatim
Cunctatim.

## Lectim

Collectim
Sparsim.

## Paucitas

Pluritas
Multitudo.

## Individuum

Divisibile
Innumerum.

## Numerans

Numerus
Numeratum.

# VI. MAGNITUDINI SUBORDINANTUR.

## Minoritas

Aequalitas
Maioritas.

## Longitudo

Latitudo
Profundum.

## Linea

Superficies
Corpus.

## Brevitas

Aequabilitas
Prolixitas

## Contractio

Tractio

Distractio

## Non

mensitas Dimensitas
Immensitas

## Insecabilitas Secabilitas

Inpercurribilitas

## Magnum

Maius
Immensum

## Minimum

Minus
Maximum

## Exiguitas

Magnitas
Eximietas

## Pusillitas

Granditas
Vastitas

## Inchoatio

Adolentia
Perfectio

## Terminus locus Spacium locus Tempus

Motus
Quies
Sensatio.
VII. APPLICATIO TRIADUM.

In omnibus tandem ordio est Principii, MEDII, ET FINIS, nempe AGENTIS, MATERIAE, ET FORMATIONIS.

Unum inter extrema (in quolibet ordine) quaelibet est medium.

In omni tertio alicui applicando, medium, quod amborum sit particeps extremorum, requiritur. Medium vero tripliciter esse contingit. Aut primo quia alteri subiicitur, alteri praesidet. Aut secundo, quia utrique praesidet. Aut tertio quia subiicitur utrique. Hoc quod dicitur, in subiecto figuratur archetypo, ubi Extremum unum A, Medium B, Extremum alterum C, Ubi Medium B refertur hinc quidem ad A dextrum; inde vero ad C, sibi sinistrum. Et hoc tripliciter. Primo tribus terminis in medio ordine directe collocatis. Secundo sursum positis. Tertio deorsum. In triplici quo terni unam figuram complent anguli, atque lineae ternae completo spacio est videre. Non solum in Ratiocinii genere, sed et in omnis adversionis, applicationis, et operis ordine, progressu, et actu, trimembrem hanc dinoscito figuram, praeceptricem, adiutricem, perfectricem. Semper quippe medium Aut extremorum alterum continet, et ab altero continetur, Aut continetur ab ambobus, Aut ambo continet. Sic mundus supernus per medium influit in imum, et imus per medium scandit ad supernum. Istud respice in serie, ubi VERBUM inter DICENTEM mediat et AUDIENTEM. Ubi a SENSIBILIBUS procedimus per RATIONEM ad ipsa INTELLIGIBILIA, Ubi SPIRITUS vehiculum inter ANIMAM mediat atque CORPUS.

## CAPUT V

TETRADIS FIGURA. OCEANI SIGILLUM APPINGO, ET QUADRATUM DESCRIBO.

Protinus est Tetradis clara explicitanda figura,E castae triplex templo deducta Minervae.Sex diis Phoebeo e claustro sunt parta Sacella,E quibus Oceani semet refluentis in ipsumPrima datur, quam sic monstrantem Prothea vidi.Est via

quae nectit Clarii atria Apollinis, atqueNyctilei Bacchi quae vult quadrarier. ErgoAngulus a Charitum puncto descendere rectusEst operae primum, geminum et latus haud sit iniquum:Angulus extremum post hoc circumdet utrumquePrimorum laterum: namque intersectio fluxusIllius bini in Cyclum fit terminus, in quemConfluxu extremi bini est conclusa figura.

Bacchus, Apollo, Charis, rectus primo angulus exstet,Ut Normae nos edocuit praeceptio primum:Ut si mox Bacchum circumfluat altus Apollo,Deinde vagas Charites circumfluat imus Apollo;Concurrent volucris fluxus duo ad ora Dianae,Cui Bacchus Charitesque modo nectentur eodem.Consimili tractu poterit pro conditione,Qua angulus oblatus veniet, componere RhombumAtque Parallelogrammum Geometra potenter.

FLUMEN, NEREIDUM SIGILLUM EXPRIMENS QUADRATUM.

Accolaque aequoreis Nereis lasciva sub antrisInterdum adcurrens, fluvialibus obvia Nymphis,Ista cognoscit propria sub lege secundam,Qua pote quadratum Cyclo est describier intus:Dimetrus in medio puncto perpendicularem(Ut docuit Vertex ascendens) sustinet, ut sitDimetrus in parteis binas, Cyclusque quaternasAequas discissus. Quod si haec extrema coibuntBacchus, Apollo, Charis, venerandaeque ora Dianae,Inde per inscriptum circumscriptumque repertum est.Si laterum finem, Bacchi nempe atque Dianae,Circuitu centrum gemino circumfluat, ut dehincFortunae sedes cyclorum in segmine apertaIndicet exacte punctum: parili quoque formaSi circumfluxum centri Charites et ApolloConcipiant, punctum Ganymedis comperietur.Caetera puncta tibi recto sunt pervia fluxu.Sic triquetro a Baccho, Iove, finito, atque Diana,Cum parile efficiant Bacchus Fortuna Diana;Est via qua circumscriptum dabis ac duplicatum.Mox circumscribes nullo quadrata labore,Si inscripti medium quadrati per latus, ipsisTum demum radiis productis, a Iove nempe adMartem, Neptunum, Oceanum, Plutonis et ora,Ductae duplantur, Fortunamque, Erigonemque,Imosque Hermetem attingentes cum Ganymede,Tramite qui recto Gyrum tangente quaternoConvenient, facile in puncto claudentque figuram,Ordine continuo, parili crescetque tenore.Concepti radii pariter replicando valorem,Sique parallelum circumscripto iuvat esseInscriptum, radii capiantur puncta quaterni,Quae circumscripti quatruplex capit angulus, atque haecRectis iungantur, similem faciantque figuram.

AETHER

Sigillum Iunonis delineans, curvilineum tetragonum circulo inscribo et circumscribo.

Tertia Iunoni formatur sacra figuraCardinibus quatuor, cui duplex dimetrus unumDesignet gyrum: ut qua Bacchum attingit Apollo,Et blandas recta Charites innupta Diana.Namque axis gemini a reliquo si terminus alterCircuitur, nec non circa reliquum fluit alter,Directim occurrent quatuor data puncta seorsim(Heic ubi se gyrum quatruplex scindendo coibat)Fortuna, Erigone, Ganymedes flavus, et Hermes;Quandoquidem Charites si circumgyret ApolloSistens in Baccho; attingentes sacra DianaeEt Bacchum Charites; Bacchus sacramque DianamUsque ad Apollineos ortus qui excurrat: et indeSub circumfluxu reprimatur Apollo Dianae;Facta opportuna est gyro comprensa figura.At si Fortunam Bacchus circumfluat indeArcu consistens producto in Apollinis orbe,Et Fortuna potens pergyret Apollinis oramErigones sacro quae consistatque sacello:Mox etiam Erigonem magnus circumdet ApolloQui sistat Bacchi in templo, Bacchum ErigonequeQuae non trascurrat Fortunam. Dein GanymedesCircumdet Charites sistens Hermetis in oris,Hermetem Charites usque ad delubra Dianae,Hancque Hermes currens usque ad pulcrum Ganymedem,Quem circum ad Charites usque est prolapsa Diana,In plani formam interior duplicabitur arcus,Arcusque externus quatruplex formabitur illeAttingens Cyclum puncto, claudensque figuramCuspide vicina quatrupla, quatruplaque remota.

Ut tetragona fuit facies descripta seorsim,Quam finit Tethis, Nemesis, Vulcanus, et Isis,(Numine vicinum numen non praetereunte)Si circum Nemesim Bacchus, Tethiumque Diana,Vulcanum Charites pergant, atque Isidem Apollo,Arcubus in gyro inscripta est tetragona figura.

Utque vides quanta internum est ampledine planumArcus duplati, tanta Charis alma, Diana,Bacchus, Apollo, velut quatuor stellisque propinqui,Quae fiunt centrum externos duplantibus arcus.

TETRAGONI ANALOGIA AD TETRADEM.

Plurima sunt tetradis mysteria, nempe MagorumAtque sacerdotum arcanis comprensa sigillis:Pythagoras decadi ut initum fontemque celebrat.Nam quod ea est actu, virtute haec esse videtur;Scilicet ut tetradis pars quaeque inspecta seorsum est:Per monadem, diadem, triadem, tetradem, decas exit.

Et tetrade est primum solidi natura reperta,Quando in corporeis rebus numeri esse prioresAptati debent. Quia punctum dat monas, atqueDat puncti fluxum dias, haec extenditur indeIn planum triadis; demum tetras esse reponitCorporeum. Primus pariter quadrangulus est par,Iustitiaeque typus, propria atque figura domorum.

Et quamquam ipse Deus triadis numero impare gaudet,Per tetradem cunctis tamen ipsum se explicat alte:Corporeum siquidem ad captum sic insinuatur.

Ut totidem e terrae decurrunt flumina centro,Stipitis atque uno faciunt de corpore ramos,Vitae per totum quibus orbem funditur humor;Qui vice conversa radices fontibus adsunt,Innovat ut gyro natura, haec omnia, mater,Occultusque venit restaurans omnia cyclus.

Anni quatruplicisque rotae molimine cursusFlectitur, ut matris divum ferat omnia currus.

Quae iubet ut quatuor sint arae cornibus olliExtructae: et quatruplex solvat redolentia thuraAngulus. At generis si sacra exquirat aliusSacrifici est torrendus adeps, quo fumus in altumIllius adsurgens itiner demonstret ad astra.A medio Solis stationum quattuor, inqueCardinibus mundi totidem sunt ordia rerum.Inde elementorum quatruplexque potentia surgit,Et quatruplex virtus quam rerum impresserat illisCunctarum natura parens. Atque orbita vitaeQuattuor ordinibus pendet distincta subinde,Quos portae Aurorae, et tenebrosae limina Noctis,Undeque Sol, spacium medii metitus olympi,Cursum inclinato invadit temone relaxansNixus, atque unde ascensum aggrediuntur anhelumCornipedes lucis vectores ignipotentis.Archetypi mundi tetradem referentibus hisce,Quam Samius sophiae ille parens suspexit, et apteTerrigenis oculis potuit monstrasse docendo:In quam se primum monas explicat omnipotenter.Et rerum quatruplex genus inde subesse per almaeNaturae monadem: monadis primae optima imago,In cuius vultu vive est impressa. Per ipsumCorporeum et mundum venit haec expressa subinde,Sunt ubi sub fati decreto mobilis, atqueOrdine constantis certo, quae dicimus esseUt Natura, Ut Vis, ut Fortuna, utque Voluntas.

Mobilitas quatruplex et toti, et partibus inde est,In medio, a medio, ad medium, circa mediumque;Ad centrum effluxu, influxu, circumactaque fluxuPerpetuo existunt, vario discrimine adacta.Ut medians mundi Lampas, circum hancque peragransMultiplicis sphaerae vultus, quem Lympha liquescensEfficit obiectu ad solem occursare sereno,Qui propriam

peramet speciem. Iaculatio multa hincFrigida Telluris, reliquorumque Oceanorum,Exin flammifero occurrunt resolutaque nimbo,Parteisque e gemino geminum vectantur in orbem.Mutua nam genitor genitrixque in vulnera amorisAeternas servando vices, heic per latus omneOccurrunt, arctis vincti haerent nexibus, ut sicQua pote iungatur corpus cum corpore toto;Sorbeat et totum, si possit corpore totoAlterutrum: quatuor dant anni tempora proli.Inde et continua est iaculatio, spermata semperEmittuntur et hinc, ac concipiuntur et illinc:Perpetuo ut celsum divum siet una voluptasContinua: hinc variis corpus de partibus unumPerfruitur mira, ut par est, dulcedine. Sed SolE medio solus plures foecundat, ut unusVir pollens circum Tellures progenitrices.Nempe Vir uxori duntaxat sufficit unus,Ad solamque viro non est adstricta facultasUxorem, ni habeant iactari semina frustraContra naturae legem: si semina nolitFrustrari, et sterili vulvae committere semen.Concipiens semper, semper pariensque, beata,Hoc, tellus mater, de cardine monstra quaterno,Ut quatuor, variis in partibus, tempora MessisDistribuis, Brumas, Autumnos, tempora Veris,Solstitia et quatuor numerant quos orbita tantaHaec revoluta premit; dum iuge per aera magnumCarpis iter, motu toties revoluta diurno,Ut magni ad signum gyri revocata reportesConsimiles annos, sensim et centro extima iungas.

Et quatruplex omnis generatio tendit ad esse,Quod primo nudum ac purum vult, simpliciterque,Vivum deinde petit, vegetantis visque sub actu,Moxque facultate informari compote sensu,Demum intellectus suffundi lumine gestit.

Et quatruplex infinitum ratio accipit esse,Primum virtutis peragentis mentis et actus,Quod sequitur perseverans successio rerum:Innumerus numerus: moles sine margine secli.

Ac totidem mundos cognoscit secta Platonis,Primum Divinum, Archetypum dicitque Secundum,Tertius haec formans Animalis nominitatur,Quartus Corporeus. Deus ut substantia prima,Atque monas per se: deinde Intellectus ob ipsumParta monas, numerum divum diffusa per amplum:Post hos formatrix anima exstat materiei;Materies tandem infinito corpore replensImmensum spacium, innumeris de partibus una.

Et rebus Numerus, Pondus, Mensura, Figura,Dant Seriem, et Momentum, et Molem, dant Speciemque.Unde Ordo, et Vires, et Hypostasis, et SocialtasEst Generi, Formae, Composto, Multiplicato;Ut Sint, ut Vigeant, Persistant, atque PropagentIn Terra, inque Mari, spacioso inque Aere, et Igne,Reptantes, Nantes, Volitantes, seque Rotantes.

URBS CABALISTICA.

Descripsit seclum, tetradis sub lege, prophetaCui domus est Quatuor laterum, Templumque quaternisCornibus adsurgens. Quatruplo ordine adesse columnasAd Quatuor caeli plagas, Animantia totque,Nempe Hominem, et Vitulum, et Aquilam, fulvumque Leonem.Hinc celebres Quatuor Facies, Pennae, Manus, OraTotque, superficiesque quatuor singlisque Rotarum,Tot Mensae, Quatruplex est grandis bestia, TotqueFabri proscindunt alienae cornua gentis.E medio gemini montis, qui ex aere fictus,Exsurgunt quatuor venti, Quatuorque quadrigae,Cornipedes quatuor, pictique coloribus, albo,Puniceo, nigro, vario, qui apparet ab hisce.Flumina de centro integrum diffusa per orbem,Quaeque superficiem convexam mole supinaConspergunt, ditant, hilarant, ut sepibus arcent,Arboris e venis ut funditur undique succus,Terrarum sphaeram concreto robore firmant.

SCALAE TETRADIS

PRIMUS ORDO.

Pythagorici quaternitatem, plenitudinem mundani tum corporis, tum animi designantem, agnoscebant: quatruplicemque naturae perpetuo fluentis fontem praedicabant. Idem Cabalistis, Magis, atque Chaldaeis numerus Divinitati, in rerum natura praesidi, visus est conveniens: et inde quatuor dicebant esse mundos. Unum primum simplicissimam Monadem, quam BONUM appellabant. Secundum INTELLECTUM. Tertium AMOREM. Quartum PULCHRITUDINEM. Ex quo enim Intellectus Bonum apprehendit, sequitur Amoris actus, et Pulchritudinis ratio. Primum mundum dicebant EXEMPLAREM. Secundum INTELLECTUALEM. Tertium ANIMALEM. Quartum NATURALEM. Primum appellabant MENTEM. Secundum INTELLIGENTIAM seu Ideam. Tertium MAGNUM DEMONA. Quartum COSMON seu Mundum. Primum rursum PATREM, Secundum FILIUM, Tertium ANIMAM seu Spiritum, Quartum patris IMAGINEM, Filii SIMILITUDINEM, Spiritus TEMPLUM.

II. Mundorum istorum (inquiunt Platonici) sic alius profluit ab alio, sicut in aqua circulus a circulo dependet: sicut ex LUCE procedit LUMEN, ex Lumine emanat SPLENDOR, ex Splendore CALOR genitalis. Ibi Intellectus pro Animae productione a patre non seiungitur, quinimo ipsam propagationis potentiam atque actum per eam, quam cum patre habet unionem, admittit. Subinde intellectualis anima summo inhaerens intellectui in animalis animae exsuscitationem foecundatur. Animalis postea, quae vita corporea est, seminibus atque formis (quibus huius mundi materiam impleat) impletur, quatenus ex anima illa, cuius est imago, dependet. Ex illo tandem materiae complemento quartus est iste sensibilis mundus.

III. Ibi primo ipsum BONUM SUPRA STATUM contemplabile est, status quippe boni gratia fit. Secundo Intellectus est ipse STATUS. Tertio Intellectualis Anima est PRIMUM STABILE. Quarto vita huius imago PARTIM STABILIS, quatenus scilicet existit inde; PARTIM MOBILIS nempe quatenus corpori proprie mobili copulatur.

IV. Primus mundus numquam fit et semper est, nempe absolutus: Secundus semper est, et semper facit: Tertius semper est, et semper fit: Quartus numquam est, semper fit.

V. Primus est fons et forma Bonitatis. Secundus imago bonitatis illius. Tertius forma vitae et fons. Quartus Imago et emanatio vitae.

VI. Hinc fortasse nomen Dei quadriliterum ubique gentium ab antiqua institutione comperitur, praesertim vero apud Cabalistas ineffabile illud ex decimo, et quinto, decimo, et sexto Hebraeorum elementis, cuius loco explicatur illud ex primo, et quarto, et quartodecimo et decimo. Sic et ex iis quas novimus linguis principes, et eae quae originalibus et primitivis proprius accedunt, quatrilitero nomine Deum significant: IeovaH et ADONaI enim Hebraeis. EUT Aegyptiis. ORSI Magis. SIRE Persis. iEOS Graecis. DEUS Latinis. ALLA Arabibus. GOTT Germanis. DIEU Gallis. DIOS Hispanis. IDIO Italis: et hi sunt omnes quorum hodie cultiores sunt linguae, et qui soli loqui videntur. ITA PER VENERANDAM TETRADEM iureiurando affirmabant Pythagorici. Aiunt hoc ideo illis, qui numeris omnia significabant, consultum fuisse, quoniam quaternarius numerus omnes numerorum compleat differentias, qui primum parem primumque imparem complectitur: et quia in terminis quatuor, numerorum progressione, denarium expleat.

Quatuor item terminis, et terminum et processum dimensionum complet. Intra quaternarii limites musicam intelligunt omnem consonantiam DIAPASON, DISDIAPASON, DIAPENTE, DIATESSARON. Quatruplex essentia ABSOLUTA, IDEALIS, REBUS UNITA, A REBUS ABSTRACTA. Quatruplex esse, METAPHYSICE, PHYSICE, METHEMATICE,

RATIONALITER. Quatruplex Virtus, DIVINA, INTELLECTUALIS, ANIMALIS, CORPOREA. Quatruplex iterum, Simpliciter Activa, Simpliciter passiva, Activior inde, hinc Passivior. Prima in actu puro. Secunda in potentia pura. Tertia in simplicibus substantiis secundis. Quarta in compositis et generabilibus. Quatuor sunt in omnibus suppositionem habentibus. ESSENTIA, ESSE, POSSE, OPERARI: id est QUO SUNT, QUOD SUNT, QUOD POSSUNT, QUOD AGUNT. Quatruplex in iis distinguitur operatio, DIVINA, NATURALIS, FORTUITA, ARTIFICIALIS. A Prima est effectus simpliciter necessarius. A Secunda necessarius in genere. A Tertia simpliciter contingens. A Quarta contingens ex arbitrio. QUATUOR inde sunt distributionis signa. Super omnibus absolute. In omnibus contracte. Cum plurimis indefinite. Circa plurima definite.

SECUNDUS ORDO.

Quatuor in partes Plato, in ea quae de Republica, (Magorum Timaeique sensum referens) lineam rerum ordinem significantem, dividit: unam quippe lineam intelligit, ubi unione quadam in simpliciter uno, et a simpliciter uno emanatione, quae verum est principium, connexionem illam suavissimam intelligit. Linea haec quatuor in partes distinguitur: Primo in duas quae sensibilium et insensibilium sunt distincta genera. Moxque genus insensibile in res Intelligibiles et Cogitabiles: id est in mundum formarum divinarum, et mundum formarum mathematicarum, quas etiam in genere substantiae (aliter quam vulgus intelligendo) comprehendit. Genus vero sensibile in res substantiales et imaginabiles distinguitur, in mundum nempe corporeum, et eum qui corporum imaginibus consistit et umbris. Heic nihil te Aristophanis comicus ille risus absterreat, qui philosophos umbras atque nubes, quasi pro numine habentes, insequitur: neque quod vulgo umbram pro re nullius momenti suerunt usurpare. Quid est eclypsis praeter umbram? Multarum tamen rerum illam causam atque impedimentum esse comprehendunt Physici et Astrologi. Cur umbra Iuniperi, Ulmi, Salicis, Lauri, et Olivae bona est; Taxi vero, Cyparissi, et Nucis, mala? Et cum de aversis sacrificiis conqueritur Osea; Super capita montium (inquit) sacrificabant, super colles accendebant thymiama, Subtus quercum et populum et terebinthum quia bona erat umbra eius. Numquid nihilum existimavit Salomon cum diceret, Sub umbra illius, quam desideraveram, sedi? An non aliquid est quod de Simone Petro ex aliis Galilaeis est relatum? Veniente Petro (refert Lucas) saltem umbra illius quemquam eorum, qui male habebant, obumbrante liberabantur. Quid est quod Magi praecipiunt umbram incantantis atque fascinantis in incantandum atque fascinandum incurrere; cavendumque nobis a malorum umbris? et apud nostrates malam umbram, virum vel foeminam infelicem portentosam et ominosam appellare usuvenit. Fertur, hyenam calcantem canis umbram, eundem ab alto deportatum devorare. Fertur, maleficos, usu vestigii eius, quem vincire vel solvere cupiunt, in corpus et animalem illius virtutem alterandam, aditum sibi facere et ingressum. Neque modicum est quod in libro Iobi (ubi profunda Chaldaeorum arcana continentur) de Behemoth dicitur, Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus protegunt umbrae umbram eius. Quid plura? Umbra est principium contra lucem distinctum, illam in rerum compositarum productionem contemperans. Tellus non est frigida, nisi propter umbram, sicut Sol non est calidus, nisi propter lucem. Neque enim frigus ad superficiem a visceribus terrae emanat, vel a Sole retunditur in centrum, ita quippe innato spiritu atque calore, terrae viscera interius, ut et animalium caeterorum, calescunt, ubi non plus concretae densataeque frigore fiunt aquae, quam, in animalium incolumi corpore, sanguis; sicque aqua in superficie, sicut et sanguis extra corpus animalis inspissatur: quod si frigus a centro vel a terrae visceribus proveniret, vel ab alio saltem, praeterquam ab ipsius umbrae efficacia, ipsum in partibus interioribus efficacius inveniretur. Distinctum ergo principium activum contra lucem cum est, contra calorem Solis, quasi patrem, est umbra cum frigore Telluris quasi mater. Cui ergo frigus, principii titulo, in subiecto corpore celebratur, sapientius cum Mose, Chaldaeis, atque Magis, umbra quae illud emittit celebraretur. In actu urentium speculorum videmus, per luciferum radium praecurrentem, immitti igneam rebus accensibilibus virtutem: ita contrariae virtutis impressio a praevenientis umbrae activa potentia demanat. Sed nos heic pluribus usi sumus, quam quot sufficere possint, vel mediocri ingenio, ut realem apprehendat umbratilis mundi a sensibiliore mundo distinctionem, utque actio a mundo umbratili in mundum physicum efficacissime deferatur: utque umbram non perperam intelligamus esse virtutem effluentem a rebus compositis propter sic convenientium principiorum efficaciam, sic ut lux aliter, principiis iisdem concurrentibus, (quod in carbunculo et diaphanis corporibus est videre, quae apud nos vel per se lucent, vel minus tenebrarum participia facilius extant illuminabilia) a corpore diffunditur. Stat ergo consideranda mundi divisio in INTELLIGIBILEM, COGITABILEM, SENSIBILEM, et UMBRATILEM.

Lumen quoque in quatruplici mundo quatruplex, VISIBILE, RATIONALE, INTELLIGIBILE. DIVINUM. Lumen incorporea quaedam est forma omnibus insita; ea enim in remotissimis, profundissimis, durissimisque corporibus est iniecta atque consistens: nam neque cum latitudine iudicii, quod a nostro sensu est, protenditur atque discurrit: quasi ibi desinat, ubi a nostra sensitiva potentia desinit apprehendi. Hac somniando clausis oculis, in mediisque tenebris, videmus, quia et vestigium et imago mundi et lucis externae est in nobis: quinimo anima ipsa lux quaedam per se est sibi; per seque lucens. Sed hoc latius in iis, quae de multiplicis mundi vita scripsimus, explicamus. Quatuor rerum genera significantur, PER LUCEM MERAM, LUCEM TENEBROSAM, TENEBRAS LUCIDAS, MERASQUE TENEBRAS.

In mundo Rationali quatuor sunt divini furores. A BACCO, APOLLINE, MERCURIO, ET VENERE, nempe PROPHETICUS, POETICUS, MUSICUS, AMATORIUS; et ex iisdem numinibus et furoribus quatuor sunt animi dotes: Primo APPREHENSIO seu conceptio. Secundo PRAEDICTIO sagax, seu prudens, absque stolido illo furore quo "Bacchatur vates magnum si pectore posset Excussisse Deum".

Tertio MEMORIA specierum tenax: et innumerabilium verborum nuncius, infinitarum intentionum praeco, mentisque obsequentissimus interpres. Quarto VERBORUM USUS.

TERTIUS ORDO.

Quod in mathematica est PUNCTUM, LINEA, PLANUM, PROFUNDUM, apud physicos est SEMEN, TRANSMUTATIO, FORMATIO, COMPOSITIO seu completio. Primo quippe est individuum atque minimum semen. Secundo ipsum in longum producitur. Tertio planum quasi formam concipit. Sicut quippe Linea in planitiem extenditur, ita materia in magnitudinem formicapacem explicatur. Quarto profundum quasi compositionis subit complementum; quia tertiae dimensioni quarta non superadiicitur ulla: ubi principiorum concursu complexio quaedam, sphaerae solidae similis, efficitur.

Postquam (inquam) processio a principio distinctionem fecit (monade scilicet seu puncto in diadem seu lineam explicata) degeneratio facit repugnantiam, et succedit in eodem genere maxima distantia: Altum imum, Dextrum sinistrum, Internum externum; Maximum minimum. Haec vero contraria et extrema (ut in triadis scala videre licet) absque medio ad aliquod generandum, ad seriem, ordinem, connexionemque ullam perficiendam non concurrunt.

Medium porro illud omnino in latitudine quadam consistere oportet; individuo quippe contraria, immo et diversa, ulla distare non possunt corpora, plusquam esse proxima, contigua, atque continua, subiectoque unum. Medium ergo eo, quo unum tangit extremorum fine, non tangit alterum. Duplici ergo termino, duobus cum contrariis duplicem habet affinitatem atque communitatem, eo vero quod inter utrumque terminum constat, a duplici termino sibi vendicet differentiam atque proprietatem. Est igitur duplex medium, et hoc, scilicet quod in tota latitudine consistit ab extremorum remotissimis partibus totum aequidistans quale est totum Spacium A B a quo pariter sunt termini C atque D abiuncti; et illud medium individuum atque punctuale E: quod tum ab extremis remotissimis D et C, tum ab extremis contingentiae A et B aequaliter distat. Ibi medium secundum latitudinem est extremorum particeps, punctuale medium est extremorum potius exclusivum, et expertissimum. Ibi a puncto E ad punctum B una est medii dispositio qua cum D: a puncto E ad punctum A est dispositio qua cum C convenit. Necessum igitur est medium esse bipartitum; particeps item neutrae cuiusdam est dispositionis, vel duplicis cuiusdam ex ambabus hisce resultantis tertiae: eius, inquam, qua cum utrisque concordet et conveniat ab illis usurpans; et eius qua aliud quiddam ab utrisque habeat, quod utrisque communicet. A enim per id quod habet a C contrariatur ipsi D; et B per id quod habet a D contrariatur ipsi C: medium ergo tum ut disiunctive neutrum, tum ut coniunctive commune, tum ut singulare quiddam per sese, suaque proprietate ab utrisque distinctum, respicit extrema. Secundum qualitatum ergo secundarum differentiam, duplex oportet esse medium, ut illarum altera magis cum uno, altera cum altero magis extremo congruit: altera, inquam, quae inde remissa, hinc intenditur: altera quae inde intensa, hinc remittitur: ideoque primorum contrariorum extremorumque distantissimorumque conditionem, quaternarium numerum proximorum principiorum causare oportet.

NATURA QUATUOR ELEMENTORUM IN CAELO.

Astrologi, et in signis et in planetis, naturas considerant elementorum. Theologi omnes et Theologorum patres (praeter eos qui Peripateticis ineptiis physicis paverunt animum, et omnes sensus, metaphorarum suffragio, intentionibus mancipant Aristotelicis), aquas veras intelligunt in caelo: illic terram viventium attendunt. Platonici non tantum per modum causae atque principii, sed secundum veriorem naturam asserunt haec in caelestibus haberi. Naturam (aiunt) ignis eminentissimam ostendit in caelo sensibile lumen et calor ille vivificus; naturam terrae, solida firmaque illa stabilitas atque densitudo, qua Luna et pleraeque aliae stellarum retundere videntur Solis radios. Lunae item substantia, non per se lucens sed propter Solem, apertissime specie differt a Sole et non ubique quanti illius corporis nugatorii inspissatio facit corpus lucentis stellae. Sed nos alibi ostendimus ut Aquae et Tellures sint passim per aethereum infinitam regionem ita consistentes, sicut Telluris corpus istud consistit, et patefecimus ita corpus Lunae (quae altera Tellus est) suis aquis nobis lucem suppeditare illam; sicut etiam corpus Telluris, (quae altera Luna est), suis aquis lucet illi, et ita continentem esse quod opacum apparet inde, sicut continens est quod hinc illi debet apparere opacum; et ostendimus ut Venus et Mercurius et planetae omnes circa Solem discurrentes, sicut et haec Tellus discurrit, sint eiusdem speciei, licet differentiam partium, quae propter maiorem distantiam a nobis evanuit, non aspiciamus, et intercapedinis opacae abolitio facilior, quamlucidam in speciem minimi corporis ex toto splendentis, globum universum commutarit; et declaravimus ut corpus Solare et aliarum (quae fixae sunt) stellarum, alia elementi specie (nempe igne seu luce) in compositione superabundante, specie a corpore Lunari seu Telluris differat: et patet ex iis ut nullum corpus unionem partium habeat sine aqua, et nullus ignis consistat neque splendeat sine humore, non est enim ullibi flamma neque carbo nisi ubi humor ardet: et corpus omnino siccum, neque ignem habet neque ignescere potest: unde et temporibus nostris (licet non ista prorsus ratione sed ex principiis adversarii ipsius Aristotelis inductis) ausus est Thelesius Consentinus ignem humidae naturae asserere, quod minime infeliciter est prosequutus, non, ut par est, pro rei veritate, sed ut decebat eum, qui ex suismet, Aristotelis physicam, principiis voluit redarguere. Sed de hoc satis ille. Iam, quod ad naturam aeris in caelo dinoscendam attinet, quis non videt idem atque unum continuum spacium similiter ad extremae visibilitatis et minimae apparentis magnitudinis usque sidera? Cui nullus sensus et nulla regulata ratio; sed tantum bruta illa circumvectantis illius unius stelliferae sphaerae phantasia propter incapacitatem motus Telluris tum diurni circa proprium centrum, tum et circa Solem in aliorum planetarum morem, anniversarii. De qua ignorantia myriades illae vanissimarum contemplationum et circa corporum differentium, motorumque illorum conditiones atque naturas, sunt obortae. Sed de iis alibi satis.

Natura quatuor elementorum in mundo intellectuali.

In mundo item Intelligibili, Primo, quasi per ignem, Specierum PERSPICUITAS in luce consideratur. Secundo quasi per aerem PRAESENTATIO in media intentione, quae inter obiectum mediat et intellectum. Tertio quasi per aquam, cui est copulativa, virtus, UNIO speciei cum potentia apprehensiva succedit. Quarto quasi per terram, cuius est firmare, fixare, atque solidare, RETENTIO consequitur.

Natura quatuor elementorum in mundo spirituali.

Quatruplex est Spiritus. Primus ABSOLUTUS scilicet in aetherea amphytrite. Secundus in corpore ANIMALIUM. Tertius in corpore PLANTARUM. Quartus in corpore MINERALIUM. Mineralis (praeterquam in purioribus metalli speciebus) est in similitudine terrae. Plantarum in similitudine aquae. Animalium in similitudine aeris insiti. Absolutus in similitudine aetheris. Est autem (quod nolo heic praetermittere) Spiritus substantia media quaedam, qua anima tum corpori adest, cum corpori propriam per se ipsam organizato vitam elargitur. Omnia per spiritum istum vivunt atque generantur, qui idem quatruplex in omnibus perfecte compositis invenitur, licet non secundum omnes in omnibus conditiones aequaliter habeatur. Lapides (aiunt quidam) et metalla generare non videntur, quamvis, inter elementa et animantia, media sint, quia spiritus in eis crassiore materia cohibetur. Sed nos Spiritus quidem illius materiam occultam esse dicimus: unde vulgus crassiore sensu prolificam illam efficaciam nequeat agnoscere. Sed illum hac facultate minime carere perspectum est: rite enim si secernatur, et adservetur, tamquam seminaria virtus, poterit sibi simile perfecte generare. Generat quippe sibi simile, si modo apte cuidam, generis eiusdem, materiae adhibeatur. Neque credendum est aliter, quam per seminalem quandam emissionem et admissionem in telluris visceribus, tamquam convenientiore matrice, haec ingigni posse. Anima metallorum spiritum terreum in cupro et ferro, maiori ex parte, praedominantem habet, aqueum magis in stanno atque plumbo, aereum in aere et in argento, aethereum in unico auro. Natura ex uno stipite, tanquam ramos quatuor, tum ex uno corpore quatuor haec generum corpora, tum ex uno spiritu quatuor horum corporum spiritus educit. Ars, naturae aemulatrix, spiritum illum unum, qui radix una, simplex atque stips habetur, a quatuor corporibus vere exhauriet, quem Arabes Astrologi perperam, et temerata illa prolificationis spe, ex auro duntaxat extrahere tentant: non considerantes materiae conditionem et generationis ordinem.

At nobis verus elixer quatuor hisce subiectis communis est spiritus: ideoque sicut ab uno stipite in quatuor ramos explicatur, ita et non nisi a quatuor ramis in unum poterit atque debebit stipitem revocari, qualis cum artificiose collectus fuerit spiritus, qui nulli quatuor corporum substantiae proprius, sed omnium quatuor corporum substantiae est communis, qui unitus auro, convenientis alius materiae adiectione, modicum verum aurum in similem multi veri auri speciem facit adolescere, modicum verum argentum in multum non minus verum argentum. Vides ut non ex homine, vel hominis carne et formatione actuali, fit homo, sed ex spiritu qui est in semine hominis, si in matrice proprii fomenti, et nutriminis adiectione, circumstantiis adiuvetur. Cuius sane spiritus materia non est propria homini, neque cani, neque simiae, neque feli, sed ex uno communi eodemque nutrimento, quod in cane convertitur in semen canis, et ex quo modico magnus ingens et perfectus canis adolescit: in simia mutatur in semen et adolescit in substantiam illius speciei propagandam: in homine generat hominem. Ad generationem porro istam frustra spiritum quaerimus, si spiritus quoque materiam non habeamus illam communem: fieret sane si ex solo spiritu esset generatio et augmentatio, tuncque ad aurum conficiendum sufficeret elixer: qui separatur ab auro, in quo procul dubio purior est atque digesta magis, quam in illo praecedente chaos esse possit. Tu vero qui non spiritum absolute, sed prolificum spiritum aves, in quadrivialem illam profundes substantiam oportet, quae fit in homine homo, in cane canis, in aquila aquila, in leone leo: et postea leonis ille catulus non in ea, qua conceptus est, mole manebit, sed ad perfectam, iuxta propriae speciei conditionem, staturam adolescet, atque ita naturae vestigiis insistens a naturae operantis tramite cooperator non aberrabis.

Considera non ex uno elemento, sed ex quatuor omnia (licet aliud in aliis, aliter atque aliter praedominetur) componi: et consequenter non ex simplici, sed ex quatruplici spiritu, alia in hoc, alia in illo, conditione vincente et excellente, formari. Considera Solem et hominem, non ex Sole et homine generare hominem. Considera hominem neque proximam neque primam esse materiam ad hominem generandum, neque plantam, neque metallum ad metallum eiusdem speciei: sed materia proxima est semen hominis ad hominem, semen plantae ad plantam (semen latius intelligo propter salices et ea quae insitione propagationem, insensibilis seminis virtute, concipiunt); materia autem prima est ex qua semen est illud, quae et aliis seminibus est communis. Considera in omni generatione nova instituenda praeaccipere oportere materiam primam, quia illa unica formae substantialis est subiectum. Considera formas specierum determinatam habere magnitudinem secundum maximum et secundum minimum. Partes enim animalis et plantae et mineralis non augentur nisi ex fundamento generationis: manus enim adulta non fit maior etiamsi propriae radici sit adnexa, neque manus et ramus, qui alioqui potest adolescere extra propriam radicem, vel illi proportionale adnexum concrescit in praefinitam molis quantitatem. Considera, inquam, hoc, ne quando existimes te adultam speciem, vel adultae speciei partes etherogeneas posse in ampliorem magnitudinem, substantiali adiectione facta, promovere. Sed in omnibus generationis speciebus subiectum formae substantialis illud persequare, quod est quatruplicis substantiae et seminis radix, spiritusque quatruplex indefinitus, ut aeque quatruplici forma possit definibilis esse sigillatim. Considera nos heic materiam primam non simpliciter ad physicae aristotelicae amussim capere, quae ad omnes naturales formas aeque respicit, et ab omnibus aeque distat. Sed ubi cum Chymicis sermocinamur, primam et indefinitam in genere illorum intelligimus. Aristotelicam illam ratio et intelligentia sola comprehendit: hanc vero natura percipit et usus, ubi spiritus ad substantiam inclinat mineralem: sicut alibi ad substantiam plantae, alibi ad substantiam animalis, alibique ad aliam disponitur atque disponit. Similis distinctionis contemplatio in omni cuiuscunque generis communi propriis speciebus materia atque spiritu percontanda est, et excolenda. In cunctis enim, quatuor haec vel illis proportionalia comperiunt, quemadmodum et in praepositis et in subiiciendis est videre.

Natura quatuor elementorum in mundo praesidentiali.

Non praetermittam quod iuxta naturam quatuor elementorum quatuor Mundi cardines: et in cardinibus quatuor ventos; quorum singuli duobus principibus collateralibus, dextro scilicet atque sinistro, constipantur, ORIENTE, MERIDIANO, OCCIDENTE, SEPTENTRIONALI. Et partibus caeli DEXTRA, LAEVA, SUBLIMI, et IMA, secundum pythagoricos, ad EURUM, ZEPHIRUM, BOREAM, et AUSTRUM. Qui sunt Principes in AERE, TERRA, IGNE, et AQUA. Quorum gubernationi praesunt tetrarchae habentes solia in quatuor punctis Zodiaci cardinalibus. Quorumno mina vulgata sunt: ORIENS, AMAIMON, PAIMON, AEGIM, et singuli viginti quinque spirituum legiones habere dicuntur. Sed haec mihi necromanticorum videntur esse et nomina, et numina, et vere mysantropon, quando dicuntur sacrificia ex sanguine humano, carne hominis mortui vel cati, expetere, et, certa invocatione facta et sanguine hominis in concha aenea posito, praesto adesse, et multa alia fabulis simillima, de quibus ego perperam non iudicabo. Quidam Itali necromantae ex Salomone nescio quo, et Hypparco referunt, qui in libro de ordine intelligentiarum, principes quosdam daemonum quatuor sub caelo tenere partes, ubi aerem cum reliquis occupent elementis. Nam aequinoctia tenent, et solstitia, et loca veluti digniora, utpote qui a maiori (ut isti dicunt) hierarchia fuerint aliquando depulsi. Et quia quatuor ista caeli puncta duobus coluris distinguuntur, ubi hinc et inde ad angulos rectos circuli intersecantur; relinquitur ut locis solstitiorum et aequinoctiorum figura quatrangula necessario conveniat: Unde characteri ex duabus se recta intersecantibus lineis, cui quatuor anguli in unum concurrunt punctum, quem caracterem Isidis fronti Serapidisque pectori fertur Aegyptios olim insculpsisse, vim quandam inesse magicam concluditur, et ii qui daemonas invocant in triviis vel in quadriviis, stant ad invocandum maxime ad partes conversi septentrionales. Istos tempore magnarum coniunctionum, Saturni, videlicet, Iovis, atque Martis in cancro vel capricorno pro inusitatis partubus incubos, vel succubos fieri referunt; unde homines prodeant facinorosissimi, qui ad multorum mirabilium operationem immutant Leges, et miris quibusdam rationibus (nisi a meliore et benigniore numine protegantur) hominum statum convertant, vel evertant aliquando. Ad tales referunt ortum Romuli, Merlini, Thyanaei, Teuti, et aliorum qui incertis parentibus prodiere. Duorum minorum, qui tenent coluros aequinoctia distinguentes, nomina apud eos sunt MARMORES et HASMITUS, qui in similitudinem mulierum transformati colligunt semen a viris excussum: et hoc officio succubi appellantur: mox similitudinem virorum referentes, et incuborum nomen iure vendicantes, in foeminae matricem, praefinito coniunctionis tempore, coniiciunt, et genituram tamquam propriam fovent usque ad maturitatem partus, et ultra per vitam, usque ad finem, illis principe quodam atque parentes in filios zelo adsistunt. Sed de his quamvis verisimilibus, nihil pro rei veritate definire possum, praeterquam quod ex ordinis rerum necessitate tetrarchiam quandam bonorum atque malorum (respectu nostro) principum sub uno omnium moderatore numine, quod ex contrariis omnia constituit et optimum ordinat in finem, esse naturae certo ordine atque consequentia necessariam, quae duplici modo atque contrario in rerum particularium gubernationem influat, sed de his alibi fortasse iuxta lumen nobis elargitum definiemus.

Compone in quocunque et ad quemcumque cuiusque huius scalae ordinis primum gradum cum primo, secundum cum secundo, tertium cum tertio, quartum cum quarto.

## CAPUT VI

| | | |
|---|---|---|
| PENTADIS | FIGURA. | SCUTUM |
| MAGORUM | DELINEANS, | PENTAGONUM |
| CIRCO INSCRIBO. | | |

Pentadis a gyri campo est aliena figura,Haud modico minimi monstratum est lumine, quum nonInterne ac per se Cyclus radicibus ullasExeat in parteis, nisi quae monstrantur ibidem.At vero ut quaevis gyro polygonia quadret,Fecimus Arcturi formata cuspide clarum.Praetereuntor enim quibus errant mille SophistaeArteis, queis suerunt falsis obtrudere falsum,Ac opus involucris centum confundere tentant,Ut de confuso demanet opinio veri,Ut suppressa fide lateatque videntia falsi.Adiice sextantis quintam sextanti, et habebisCuspidis ingenio demonstratum atque repertumCostis subtensum quinis aequalibus orbem.Thessalicus tamen hanc quo practicet ordo, videtoCirca opus Ingenium, Ars, Virtus, Tempusque, Subactumque;Ingenium se operi adiungit media inter utrumqueObiecti Morphe, quae quo plus Ingenio seInsinuet, lumen lux haec circumfluit ipsum:Quem circumfluxum geminis in partibus amplusCirculus abscindit subiectum, Arsque insidet illis.Nam quantum Ingenio Morphe substrata propinquat,Tanto ex Ingenio Subiectum arcu dirimatur.Quod si Subiectum medium circumfluat indePerfecto Morphe gyro: duo puncta videbisQueis novus hic circus magno dispescitur: horum estTempus nimirum hinc, illinc variabilis Aetas.Quorum unum in reliquum quando defluxerit, ecceQuaesitae latus est promptum adiectumque figurae.Sed cave ne exclusus sit Morphes punctus ab orbe;Nam venit ut minimum non tamquam terminus apta.Quam cum compleris, quoniam connectitur omnisQuilibet e quinis subiectis terminus, ex hocConsequitur circum soboles optata parenti.Nam Labor Aetatis cum Tempore dissecat arcumAdiecti Cycli, ut et simili forma exoriaturQuintupla de sinubus totidem perfecta figura.Dein quantum Aetati Experientia proxima, et ipsi estTempori, et illa ultro Bonitati, et Tempus HonoriInfluit: inde Gradum, Maiestatemque reportasConditione pari. Oceanus praebetque sigillumQuo Labor atque Aetas faciat cum Tempore rhombum,Queis quartum tribuat punctum, Experientia seorsimConsimilem quinum latus anglum concipit extraUt circa gyrum veniat descripta figura.His punctum rectam extrema mediaque secantemIn ratione capis praxi breviore peractis,Scilicet ut recta alternatos uniet anglosQuinos quina, velut modo Fatum Tempus in ipsumInfluit, et Tempus Virtutem exsuscitat, istaDein Physico ingeritur: sic Aetas excipit illamQuae fluit in Fatum, via promptaque ob ipsa reperta est,Qua se ad innumerum soboles haec prima propaget,Nempe sigillatim protensis undique rectis.Rectaque per Centrum si producta exit ab anglo,Attinget gyri punctum, qui ductus in orbemDat Circumscriptam curvam, Inscriptamque reportat,Si extremum cruris reliquum circumdabit unum.At vero extremum hoc lateris si circuit illud,Cruribus e curvis plana est impicta figura.Quam clavem appellant Zoroastris in arte potentes.

PENTAGONI ANALOGIA AD PENTADEM.

Inque bonum inque malum communis neutraque Pentas,Imparis atque paris soboles quia prima parentum,Est primus par, atque impar, est foemina, masque.Mystica quapropter fatuas totidem, ac sapientesAncillas, numero sententia protulit isto.Ac totidem sensus, animae putat esse fenestras,Externos vulgus: qui tum bona tum mala mentiInsinuant, operum veluti distinctio quinisAptata est digitis, unde et fas omne nefasque est.Nec tantum digiti numerum, sed palma figuramPentadis expressa promit, signataque Lex estHac in membrana, atque operum sors, atque viarum.Distinxit quino Legem ergo volumine Moses;Ergo animam in manibus propriam gestare prophetaeDixit corporeis, (veluti natura) figuransOccultum. Manus est etenim signum atque ministraIngenii interioris, opus fructusque reportatAtque probat sensus, et mentis fata profundae.Linea quina data est vitai significatrix,In manibus quippe est sententia IudicialisInscripta, exilii pro tempore, (si Babylones,Chaldaeique valent sensus, Samiique relata)In manibus liber est, quamvis non perlegat omnisPlectendus vitae decursu spiritus huius.Pentadis adiectum ferturque a numine signumQuo minus occultis trepidet vir ab hostibus, et neSubdatur misere, at vero magis imperet illis.Impositis manibus et quandoque accepta potestas,Occulta ratione (volunt) pro pentadis huius.A violentorum ferturque Theurgicus esseSpirituum hoc signo, divino munere, tutus.Et statuas conflat confossas vulnere quino,Perversis pollens studiis, scelerosa magorumTechna, malos perdocta bonum convertere in usus.Quinis distinxit species gradibus Plato rerum;Inquit enim: gradus est entis, mens optima primus,Nempe Bonum, atque unum, divinum, exstans super omne;Inde anima est mundi gradus appellata secundus:Tertius est nostra haec: Quartus vis corporis omnis,Quaeque ultra corpus non sese adtollit et infert:Quintus corporea est moles, dimensioque ipsa.Quinos praeterea Timaeus credidit esseMundos: conspicuus quorum iste est materialisInfimus, atque ipsum longe supereminet alte,Naturae. Quo mox sublimior ille putandusFormarum in pleno conceptu suspiciendus.Altior hoc intellectus quem nudus ademptumOmnibus e rerum simulacris permeditatur.Praecellit cunctos fulgens super atria mentis.

SCALAE PENTADIS

PRIMUS ORDO.

Heic in figurae pentadis angulo superiori est DEUS, In dextro superiori INTELLIGENTIA, In sinistro ANIMA, In dextro inferiori FORMA corporea. In sinistro CORPUS, seu materia, seu quantitas. Horum primi gradus terminus, tamquam in non aliorum ordine positus, manet absolutus; sicut unitas, quae est principium et substantia numeri, non est numerus.

De quinque istiusmodi rerum gradibus unus e principibus Platonicis, Ficinus, quinque inducit opiniones. Cyrenaicos enim et Epicurum nihil praeter corpora esse existimantes dicit in infimo fixisse contemplationis actum gradu. Stoicos vero vel Cynicos in illi proximo, qui in qualitate atque virtute materiae, quantitate divisa, constiterint. Heraclitum porro, Varronem, Marcumque Manilium ad indivisibilem formam, per substantiam immobilem, per virtutem partim mobilem partimque immobilem, per actionem autem omnino mobilem, animam scilicet, attigisse. Anaxagoram autem atque Empedoclem, ad formam indivisibilem, per substantiam, virtutem, operationemque, immobilem multitudinem conscendisse. Ad individuam vero et immobilem unitatem, Platonem suum, melioribus innixum alis, praetervectum. At

vero haec positionum distributio propter contemplationum varium finem atque usum, nec non propter variae dictionis formam, valeat: qui enim omnia ad corporis genus referunt, non tollunt Formas, Animas, Deos, et Deum, sed cum corporeitate existentiae realitatem illis tribuunt, et quinque in materia corporea gradus constituunt. Qui accidentia distinxerunt a substantia, ne et illa intelligerent esse corpora, tria genera in uno, et duo in altero ordine collocarunt. Similiter et ex aliis nemo est qui rerum quinque gradus non agnoverit eosdem, licet in modo definiendi maxima inter eosdem extiterit differentia. Mitto eos, qui minime omnium inter philosophos audiendi censentur, Chaldaeos, Hebraeosque sapientes, qui et Deo corpus adtribuunt omnipotenti: nam, neque per metaphoram, ignem consumentem, tonantem, fulgurantemque esse intelligunt: Deos autem innumerabiles (qui omnipotentis, legati, ministri, et angeli appellantur), Flammas ignis, et Spiritus aereos, id est subtilissima, activissima, agibilissimaque corpora. Animam etiam spiritum, idest corpus subtile in sanguinis substantia alligatum, quam interdum etiam sanguinem intelligant. Qualitates omnes activas corpora esse volunt: non obstante quod simulacra corporum appellantur, a quibus effluant continue, sicut membranae a serpentum corporibus divelluntur. Istum philosophandi modum licet non persequamur, multum sane abest ut contemnamus, vel ut unquam sapienti contemptibilem existimaverimus. At in libro de principiis rerum, ubi triginta opiniones persequimur et omnes in suo ordine approbamus, hac ipsa de re exactius expendimus. Nunc illud nobis tantummodo sufficiat intelligere, et iis, qui minus intelligunt, credere, quemadmodum omne philosophantum genus quinque rerum gradus apprime dictinctos ab invicem agnoscat. Ex enumeratis enim sectis nulla deos sustulit: et illorum omnium unum principem, vel unum super multitudine saltem ordinem, quem praeeminentem intellexerit divinitatem; unde et eadem unaque prima essentia sint unum multi, et ad unum conspirent finem, bonum, optimum, super omnia, quae deinceps bona sunt et ordinabilia. Nemo insuper principium vitaesensus, et intelligentiae illud (quod animam appellamus) non admisit. Nullus item corpora, nempe atomos, vel unum genus, primamque formam elementum, vel plura non asseruit.

Quinque rursum rerum gradus constituunt Platonici, ELEMENTA, SPHAERAS, ANIMAM, INTELLIGENTIAS seu deos, DEUM. Quorum, Elementa moventur mobiliter, Astra moventur stabiliter, Animae moventur stabiliter, Intelligentiae manent stabiliter, Deus est status. Sed haec bene sunt dicta, quando sunt per adcommodatam concepta metaphoram: quam in praesentiarum excolere non est animus. Horum quinque in eorum via, Corpus dividitur et movetur per se, Forma corporea dividitur et movetur per aliud. Anima non dividitur, et per se ipsam movetur. Dii neque divisibiles neque mobiles, sed aliunde implentur. Deus est unitas et ipsa plenitudo.

SECUNDUS ORDO

Quinque figuris prima mundi corpora ab iis, qui superficies figuras et istiusmodi principia rerum corporearum esse dicebant, iuxta proprium philosophandi modum, postquam monadem atque numeros rerum simpliciter omnium cum Pythagoricis adstruxerant Platonici, Pyramidalem TETRAEDRAM igni, OCTAEDRAM aeri, ICOSAEDRAM (viginti scilicet facierum) aquae, CUBICAM (sex nempe facierum) terrae, SPHAERICAM mundo seu caelo. Sed quare et quomodo haec sint, illis evolvenda et consideranda relinquo. Unum tamen (quod e re nostra circa intentiones, quas in hac pertractatione velamus, esse videtur) non omittam; quod scilicet stereometria et omnis experientia cognoscit, ostendit, et confirmat, quinque tantummodo regulares esse figuras, quibus scilicet aequale spacium complentibus, vel mutuo cohaerentibus, canonice quidpiam constituitur integrum. Quod in figuris vides, defluit a causa quae est in numeris, et influit in effectus, qui sunt figurata omnia, quae istiusmodi succedunt elementis: quorum sane qui noverit applicatione uti, atque solertiore ingenio discurrere, nimirum poterit contemperamenti qualitatem dispositionem atque tum activam tum passivam potentiam omnium figuratorum ex ipsa figura dinoscere et demonstrare, quam certe in rerum artificio fabrefactibilium quintuplicem primordialem esse novimus. Sed non ita facile primordiales figuras rerum naturalium comprehendimus, quas (ut paulo diximus ante) Platonici sine ratione persequuntur. Praeter Atomos quippe Leucippicas, quibus rotunda (ut diximus, ubi de minimo) figura, multa ratione, congruit, et ad quarum naturam Terrae elementi puri referremus speciem, nullum elementum per se videtur esse figuratum. Ex flamma enim, quam pyramidalem videmus, ignis propriam figuram quis sanae mentis inferet? Illa enim non est ignis, sed ignitus vapor, qui quanto magis ab, ignis virtute recedit, tanto cum ignis activitate tenuatur magis: quinimo et ipse ignis radicaliter efficax, eadem (ex basi) ratione, tendit ad individuum: sed et ipsa flamma cum non proprio sed alieno termino finiatur, sic etiam omne corpus naturale naturaliter constitutum sphaericam pro viribus figuram aemulatur: sed vapor effugiens contrarium et cupiens (velut omnia) pro viribus in praesenti forma conservari, magis ab igne recedens, minus afficitur, tantoque amplius minore vestigio videtur alteratus. Quod ad aerem et aquam attinet, pro modulo figurae eorum, quae continent et a quibus continentur, compositorum ipsorum conspicua est configuratio: quod si in ipsis sensibilibus est conspicuum elementis, quid dicemus in iisdem in propria simplicitate consistentibus? Aquae sane (cuius efficacia atomi uniuntur, seu terrae partes mutuam nanciscuntur cum naturae ipsius humidae interiectione unionem) est figurare atque formare, fundare item consequenter, atque figere per primam, quae agglutinativa est, facultatem. Caloris subinde atque frigoris per secundas inspissandi et rarefaciendi potentias ab elementorum fere substantialibus formis, quas Averroes, more subtilissimi et gravissimi inter Peripateticos loquens, inter accidentales atque substantiales, medias ex positis in suo ordine principiis esse concludit. Sed nos, in iis quae de minimo, super pleraque de elementali figurarum ratione significavimus. Ubi sicut geometrice ostensum est, partes uniuscuiusque figurae rectilineae homogeneas esse toti; quia quicunque triangulus, qui illarum omnium est elementum, in similes triangulos dividitur: ita physice in partibus et ipsis superfluitatibus figuras insensibiliter toti consimiles esse iudicandum, alioqui similis arbor ex surculo et ex semine non excresceret et emanaret. Et sicut in semine hominis est idea hominis, ita et in quacunque parte (licet ad oculum non appareat nisi rationis) homo est, sicut e quacunque parte totus sentit, totus laeditur. Hoc etiam vulgus philosophorum probat propter animam (quae principaliter vel etiam essentialiter homo est) quae est ubique tota, quinimo et tota, extra sensibile illud corpus, per totum horizonta explicatur: quod apprime magicis attactibus, et a vestigio, vel quacumque accidentali speciei desumptis, millenis (quae circumferuntur) manifestum est experimentis. Et diximus ut, propter actuum persequendorum necessitatem, corpora naturalia a globosae figurae statu degenerant, ideoque ex praedictis illis, istius argumenti definitio est petenda.

TERTIUS ORDO

Animae compositionem quinario definiunt: tribus quippe de causis, compositioni partitionique eius convenire arbitrantur. Primo, quia sicut quinarium ex primo pari primoque impari constat, sic anima ex dividua individuaque natura, quando dividuus est par numerus, impar vero individuus, ob eam censetur causam, quia eius in partes aequas non est possibilis transitio. Secundo quia in scala naturae, anima medium de quinis gradum obtinet; unde in ipsam

extrema tanquam in unum horizonta concurrunt. Tertio quia quintus post primos quatuor numerus, et quintus ante sequentes totidem, extremos in quacumque aequidistantia concilians, seque ipsum in semetipsum reflectens, denarium, qui numerorum omnium es complementum, constituit.

Ex eo quia figura hominis externis quinque punctis terminatur, efficacia quinque mucronibus scelestissimum maleficorum genus exercet ligamenta: quod et qua ratione atque ritu praestent in similium, quos pudeat legisse, nebulonum libris inquirat, qui scire cupit indigna; sed non ita vulgatae sunt solutiones et medicina, quam unicam in eius generis casibus physice reor esse possibilem. A Theophrasto Heremita allata est, eiusdem nominis virtute, contrario verborum, aliarumque conditionum ritu, eamdem eiusdem formam capiente materia. Quid facient qui aliter male adacto homini, meliori vel aeque commoda sorte, succurrere nesciunt, ubi non anceps neque levis nocendi facultas maleficis a malo cessit Genio? Medicorum quibusdam, ignorantiae doctoribus, omnia formaliter ad turbati sensus interioris species, materialiterque ad humores illos quatuor, qualitatesque totidem elementares referentibus satis superque sibi pro dignitate propria atque officio factum esse volunt, si quam docte faciant, miserandum aegrotum, ingenti cum cruciatu, suos obire dies: cui, leviter extra aristotelicam methodum aliquantillum versus naturae lucem contemplando, discendo, et divertendo, vitam et incolumitatem servare potuissent. Illis succurrunt de alia multitudine plures, etiam peripatetice (licet non apprime) sapientes, qui Thragico et Syro quodam mysterio informati, quasi divinantes, foedera quaedam atque pacta praesumunt praeiudiciosissima, quae divinas naturalesque discindant leges; ideoque non minus in hoc genere illicitum volunt esse remedium, quam siet maleficium, quasi serpentis theriacam huiusmodi, et scorpionis oleum non liceat contra eorundem morsum venenososque ictus applicare: et quasi inter medicum, et (quem non patieris vivere) maleficum; inter veneficum et antidotarium (quia in materia et arte et prima quadam forma possunt convenire) pro delicto non sit distinguendum. Sed quod ad horum attinet statum, in suo potius magnifice laudandi sunt ordine, quam aliquo vituperandi modo, qui actus, quorum rationem non habent, quique aliquid contra praesidentem legem complecti possunt (tametsi minime complectantur), detestandos definiunt: et consulto; praestat enim hominem sub certitudine, naturalem oppetere mortem; quam sub incertitudine, divinis, naturalibus, et patriis legibus contraire. Porro quod ad medicos illos attinet, quid (rogo), o insulsissimum hominum genus, medico cum Aristotele? vel quid Aristoteli cum Hippocrate, cum medicina, cum natura? videbimus. Sed quod ad Hippocratem attinet et imo etiam, Galenum, compertum est eos saepe ad (quas appellant) superstitiosas medendi rationes tum persequendas, cum approbandas esse conversos. Mitto quod, qui animi naturam non ignorat, virtutem item numerorum, secundum quos omnes species a speciebus distinguuntur, unde et rebus variae sunt formae atque figurae exteriores; et qui virtutem imaginum, quae a rebus omnibus propter idealem effluitant, in resque omnes influitant, potentiam, animadvertit; qui continuationis unius spiritus in universo vim compertam habuerit, nec non multiplicem multiplicis magnetis (attractivae depulsivaeque nempe potentiae) efficaciam cognorit: inveniet universa certo quodam naturalibus principiis (sive per daemonas, sive, quod efficacius esse credo, per expertos homines, activorum cum passivis, certis numeris, temporibus, locis, atque signis, applicatio fiat) ordine provenire. Quod ubi compertum fuerit et apertum, doctiorum theologorum iudicium non formidabunt medici. Ille omnis cuiuscunque theologantium generis, et Peripateticorum in specie philosophantum honor atque lux, Thomas Aquinas, omnem, tum generaliter, cum specialiter, notitiam, de genere bonorum esse declaravit: et cognitionum genera, per se bonorum consequuntur genera; quemadmodum intellectus atque sensus puritatem, ea quae appetitus atque voluntatis est puritas: mala vero ex accedentibus, quae substantiam rei comitantur, omnia demanant: Nihil quod accidentium est capax, accidentaliter non potest esse malum: nulla substantia, quamvis in ordine malorum adscribatur, per ea quae sibi accedunt, non potest per se bona dinosci tandem: novit veneficus ex frumento parare venenum; et medicus ex artubus viperae, antidotum. Ad propositum. Antiquorum Magia (quae propter antiquae fidei, penes quam est quasi totum, abolitionem, abolita est, nullius nempe reddita efficaciae secundum eas partes quae ad praxim faciunt proxime accidentales) plurimam (dicta de causa) in pentadis figura per quinarii efficaciam dinoscebat: et nos tantum ad hanc theoriam (quam Thomas non improbasset) omnia dicta et dicenda adcommodavimus adcommodabimusque, et in praesentia de numero et figura hac humana aliquantulum fusius sumus proloquuti: ut amplius digne ad naturae contemplationem promoveremus (citra reprobandarum artium profectum) ingenia.

VEIOVIS SIMULACRUM

Duo ergo Romae habebantur simulacra, DIIOVIS videlicet (qui et DIESPITER appellatus est) et VEIOVIS. Primum in Capitolio colebatur, cum sceptro in dextera, et orbe in sinistra manu. Secundum inter Capitolium, et arcem, qui altera manu sagittas; altera ensem habebat. Primo sacrificabant, ut iuvaret, et secundo (cui ritu humano capri immolabatur, ne noceret. Idem, nomine dextri et sinistri Apollinis, et Martis, significabatur. Et in iis, quae de Heptadis simulacro dicentur, habebitur quemadmodum septem principum singuli dextri sient atque denominentur, et sinistri.

INFORTUNAE A VEIOVE SIMULACRUM

TALE ERAT APUD AEGYPTIOS.

VIRGILIUS MARO AIT.

> "In tenui labor, tenuis non gloria, si quemNumina laeva sinunt, aderitque vocatus Apollo."

SED FORTUNAE SIMULACRUM A DIIOVE TALE FUIT.

Quinarius numerus dicitur a Prometheo, figuratore hominis ex luto, hominis imagini impressus, unde et hominis archetypum quinario concerni, absolvi, dotari, mitti, privilegiari, confirmari. Impositione manuum bonos malosque spiritus immissos fama est. Ignota ratione quinarium a capite facieve verticeve hominis profundit et influit in membra. Volunt quidam quinque nervorum paria ab anteriori parte cerebri ad quinque sensuum organa radicanda protendi. Quidam quinque in hominis facie numerant fenestras. Quinque, in singulis reliquarum extremitatum, digiti sunt. Per huiusmodi quinque surculos ab externis datur influxus, et ad externa effluxus, et ex iis ideae figuraeque hominis aliquod emittitur. Mitto heic recensere quae per capillos et ungues moliuntur malefici: unde Pythagorae praeceptum est, haec abscissa pessumdari deberi, vel incinerari.

Per oculos, os, nares, aures, et per universae carnis, tanquam per unum generalem meatum, poros, praecipui influxus tanquam per radices fiunt, per digitorum vero extremitates, ut ungues atque capillos, spirituum, suis in corpore defunctorum vicibus, tanquam per ramos praecipui fiunt effluxus: subindeque per easdem, per quas fit influxus,

partes, minus principaliter efficitur effluxus: et e contra non fit principaliter ingestio per eas, per quas efficitur egestio partes. Hanc ergo figuram hominis atque numerum, et in toto et in pratibus et in omnibus, quae a toto et partibus in totum atque partes consistentiam accessum et recessum faciunt, attendamus.

Ex virtute quinarii differt, quo in loco habeat manum dormiens, ut veritatem vel falsitatem, memoriam vel oblivionem huius vel illius speciei, alicuius vel nullius, habeat in insomniis.

Talmutistae ad numerum digitorum manus, quae instrumentum est operis, Legis numerum esse explicatum dicerent. Cabalistae illic et legem omnis vitae consistere hoc ipso in numero confirmabunt; quod ex verbis Chaldaei Iob apertius est contestatum: ANIMAM MEAM PORTO IN MANIBUS MEIS: non obstante sensu, qui per manus operationes ipsas comprehendit.

Quandoquidem omnis motio et actio, sive interna, sive externa, sive sensibilis, sive non sensibilis, per manum, et quinarium externum vel internum, visibilem peragitur, vel invisibilem. Quinque in omni motu oportet attendere, et circa quinque animum oportet advertere puncta. Primo, TERMINUM a quo; Secundo, Terminum per quem ad medium; Tertio Medium; Quarto, Terminum per quem a medio; Quinto, Terminum ad quem.

Considera in rerum cum rebus concursu, Primo ADVERSIONEM seu relationem, Secundo INCLINATIONEM seu propensionem, Tertio APPULSUM seu incitationem, Quarto ADHAESIONEM seu adproximationem. Quinto INCORPORATIONEM seu unionem.

Considera in vegetativo actu, quo tum interius tum exterius; tum animo, per obiecta cognoscibilium specierum; tum corpore, per alimenta in eius substantiam convertibilia: Primo ATTRACTIONEM, Secundo RETENTIONEM, Tertio DIGESTIONEM seu maturationem, Quarto DISTRIBUTIONEM seu adplicationem, Quinto EGESTIONEM.

Compone in quocumque et ad quemcumque cuiusque huius scalae ordinis, primum gradum cum primo, secundum cum secundo, tertium cum tertio, quartum cum quarto, quintum cum quinto, DEUS, OCULUS, PYRAMIS, ADVERSIO, ATTRACTIO, est harum prima collatio.

## CAPUT VII

Labor. Domum coniugii et operis delineans, exagonum circulo inscribo et circumscribo.

Exadis alta domus, quibus est firmata, notato,Ordinibus, quo sit sensu retinendaque imago.Heic circa finem gyro spectantur in unoMateries, Species, Tempus, Locus, Efficiensque,Atque Necessum, aequis qua edistant intervallis,Quando idem radius discriminat omnia, ut alteDistinxit radii, mens optima, legibus orbem.Consimilem formam si circumponere gyroConcupias, facili perages totum arte, ubi quantumMateries medio de Fine amota recessit,Tantundem Archetypus methodo abiungatur eademMateriae a puncto: parili tractuque ferantur Obductum extra orbem, quanto clauduntur ab orbe,Emissi a medio radii; facito ergo subindeUt Ratio speciem excipiat, Tempusque feraturOrdinis in campum, Loca circumstantia tangant,Efficiens Instrumentum, Votumque Necessum;Ordine ut alterno in reliquum si fluxerit unumExtremum, Archetypum si scilicet ordo capessatAtque Instrumentum, quod in Archetypumque feratur,Et Votum iunctum Rationi, et stantia CircumAmbo illa adtingat, tantam claudatque figuram.

EXAGONI ANALOGIA AE EXADEM.

Ad numerum hunc crescit cum gnomone adaucta figuraIllustris, puncti quam fluxus terminat unus,Cui parti partes similes primae adiiciuntur:Ceu capiunt triadis merito fundamina primaQuot reliquae recto constantes margine crescunt,Imparis accessu, simili gliscente figuraPerpetuo in speciem consurgit circulus unam,Exadis adiecto duntaxat robore Diae:Sic ubi consimili vultu natura patrassetOmnia, quae Tellus tenet intus et aspicit extra,Dicitur Ideae propriae servasse tenorem:Ut centrum est rerum pars credita principiumque,Se mole involvens, qua sphaeram educat, et indeEmicuit totum, et est finis terminus idem,Ac medium. Hinc partu senum distincta dierum,Seclorum genera esse vides. Venit hinc opus omneFaustum diversae diverso nomine genti,Quae vario lucis variae sub numine pausat.Ergo operi numerus, numerique adiecta figura est,Pythagoramque ferunt, genesi, vernisque hymenaeisAptatam voluisse orbis fabricaeque quadrantem:Nam trias est propriis consistens partibus (aiunt),Quae monas est primum par, primum imparque reclusa,Et numerum hunc geminata trias capit, hic genitusqueFinit ad aspectum terrae tot signa diei.Distinguunt totidem data tempora iniqua tenebris:Hac mensis radice venit, venit annus, et horae:Has primum in partes surgunt mox cum tria in illisPrincipium, medium, extremum distinxit: et isthaecRursum principio, medio, extremoque resurgunt.Et numerum adcumulant quantum haec duplicata reponitEt triplicata tetras, trias et quadruplata, diasque:Hunc replicans numerum, reglarem, continuumque,Correptus domino fis hac ratione beatus.Eripiet senis de aerumnis (dixit Elyphaz)Te Deus, et tutum nequicquam septima tanget.Lucibus expectans senis, caligine fulctus,Dux Moses Lucem septenam venit ad illam,Qua fuit alloquio admissus cum numine felix.Observat servus dominum Iudaeus HebraeumSenis, septeno liber dimittitur anno.Nec fit terra ferax, nisi sexto pauset ab anno,Septimus ut sequitur requieta luce sacratus.

Huc age convertas oculos: domus ista Laboris,Haec operis domus est, haec exadis una figura.Turribus ut constat paribus circumdata senis,Disiunctis paribus nihilominus intervallis:Hanc manus alta suis numeris construxit, ut eiusDegeret in tecto memor horae fluxilis aevi,Segnitie temerata hominum ne vita recedat,Advigilare iubet sors et natura premendo.Cuique datum plus est virtutis (ne temere illamSe nactum noscat) maiorque iniuncta laborumAnsa venit: licet huncque minus torpere veterno.Huius ad exemplum, leges docuere LycurgiFrigoraque atque aestus et duros ferre laboresA teneris pueros annis, ac suescere rebus.Parthorum mores, Brachmanarumque negarunt,Rorantis fluxu nisi contestante calorisDefessas vires, caris dare prandia natis.Hoc fato obiecta ante oculos sunt praemia laudis,Temperat insignis recoquentes gloria curas,Ferrum quod teritur, splendet: quodque ocia ducitNon minus absumptum sub scabra erugine, tandemDefunctum vilis succumbet pondere fati.Et dulce est meminisse, fuit quodcumque molestum,Ocia nec sapiunt, nisi condimenta laborum.Praeterquam si animam nactus videare suillamProrsus, qua reputes laudabile, nobile, dulce,Aut dignum, tibi quod patrii peperere labores.An dulcem somnum reputet, cui tempora lapsaOccurrunt segnis lucis? Num grata senectusIngenio quamvis stupido, cui perperam actaVita fuit, fluxitque sua sine laude iuventus?Occurres morti quasi qui non vixeris: ut tePraetereat forsan, dilato tempore,

vitae.Quin veluti nullo in precio calcabere fungus,Idolum miseri contemptus, opprobriique.An quicquam prodesse putas, miserande, laboresObiectans atavum, dignos fructusque laborum,Contectus galeae cristato robore, pictoStemmatis insigni, tituli successor et haeres,At non virtutis. Forsan sceleratior illeTe haeredem sanxit sceleris. Nempe ocia vitansHoc fuerat studio, quo parta negotia tantusDeteriora daret quovis torpore, superbus,Mendax, immitis, crudus, violentus, avarus.Ne rerum facies haec te perterreat ardua,Quandoquidem officium promptum est quodcumque volenti:Usque adeo ut nihilum facile est, quod prorsus idemqueNon sit, ab invitis tractatum, immane, lacertis.Inquirens, pulsans, urgens, facile esse videbitQuod non tentatum visum est operosius illi.At si cuique datum non est contingere metamQua dignus palma est, quia tandem hoc spectat ad unum:Esto tamen qui, ni vincas, sis vincere dignus,Dignus qui assideas victori proximus, atqueSorte negata habeas saltem consortia laudis.Turpe nec est vinci, quando videare decoreContendisse super. Sic non inglorius, inquit,Perfunctus vita, propere me involvo tenebris,Gallus, cui quamvis primo succumbere MarteContigit, hoc satis est: licuit succumbere Marte;Expendi robur, segnem carie, uda senectus,Gallinas inter, non morti obtrusit inerti.Pugnavi, multum est; me vincere posse putavi,(Quando animo virtus fuit illa, negata lacertis)Et studium et nixus, sors et natura repressit.Est aliquid prodisse tenus; quia vincere fatiIn manibus video esse situm, fuit hoc tamen in meQuod potuit, quod et esse meum non ulla negabuntSecla futura, suum potuit quod victor habere,Non timuisse mori, simili cessisse nec ulliConstanti forma, praelatam mortem animosamImbelli vitae. Virtus fuit aemula laudisPossibilis. Volui siquidem concurrere gallusCum gallo, haud ausus corvus contendere cygnis,Rana bovi, perdix aquilae, cuculus philomelae,Cantu, praepetibus pennis, mole, atque colore.

SCALAE EXADIS

PRIMUS ORDO.

Senarium numerum actionis, operis, motus, sponsalem vocaverunt Pythagorici: et Exagona figura, illius est sensibile simulacrum: in quo mas cum foemina copulatur; ubi binarium par et ternarium impar coeunt, ut ex bis tribus generentur sex; sicut ex gyro et recta, quae est gyri radius, amplitudinis et altitudinis mensura in circulo, longitudinis latitudinis et profundi in sphaera comparatur. Hunc sequitur Secundus sponsalium numerus, Duodenarius, ubi tria coeunt atque quatuor: Tertius, ubi quatuor coeunt atque quinque.

A Bono, pulchritudinis fonte, lux procedit; ab ipsa luce pulchritudineque, Amor. A qua triade, influxus per omnia, quasi radii a Sole: voces atque verba a resonante atque dicente proficiscuntur. Influxus ita per sex gradus, a supremo usque ad infimum, descendendo consistunt: sunt quippe primo in ipsa divinae mentis Idea. Secundo per universalem providentiam in ipsa mundanae animae mente. Tertio in qualibet particulari, quae singulis praesidet speciebus, mente. Quarto in singulis astrorum seu mundorum, ut Tellure, Luna, Sole. Quinto in vegetali virtute, quae universalis natura vocatur. Sexto in particularibus, a quibus omnibus in alia particularia aliquid effluit, et in quae omnia ab aliis influit particularibus.

Sub archetypo, et archetypum operum universi, sex gradibus constabat Thronus Salomonis: ascensus enim quasi opus atque motus, quo proceditur ad statum atque quietem, senario illo figuratur, nec certa sine ratione (non solum ornamento) singulos gradus gemini hinc inde leunculi terminabant.

In caelo sunt sex a Chaldaeis distincti diametri, quorum fines sunt capita duodecim signorum: quia rectarum linearum senarium duodecim terminos includit.

Sic de sex diametris, ad instar caeli, interpretantur Mecubales, duodecim fuisse institutas portas Hierusalem, Orientales tres, Occidentales tres, totidem Australes, Septentrionales totidem, ut et duodecim a sex diametris sunt cardines terrae.

Typice, sex dierum operatione, sex opera creaturarum edita suo distincta ordine, protulit Moses: LUCEM, FIRMAMENTUM, TERRAM ab aquis se exerentem, VEGETABILIA, LUMINARIA, ANIMALIA.

SECUNDUS ORDO.

In similitudinem, qua Deum dierum senario caelum tellurem et omnia, quae apparent in eis, creasse dixit Moses; praeceptum ab eodem est, ut operi sex tantummodo dies destinarentur, sex annis seminarent, et omnino numerum hunc esse operis administrationisque omnis agnoscerent. Sex hominum paria operi suae, messis vel expiscationis, Christus destinavit, qui de septuaginta duobus discipulis duodecim (quos binos deinde mitteret) elegit: de quorum numero cum unus praevaricasset, quasi pro necessitate alter est designatus et suffectus, et sex signa, quae in duodecim horis diei sunt, operi ab eodem declarantur destinata. Et notandum, a Christo etiam in numero septuaginta duorum servatam fuisse senarii virtutem et duodenarii: numerus enim ille est in expansione duodenarii, et radice senarii consistens; duodecies enim sex sunt septuaginta duo. Itaque expansum numerum 72, contraxit in duodenarium, et numerum duodenarium contraxit in senarium, mittendo binos.

Idem praeceptione servavit Deus, qui a Mose diffudit spiritum in septuaginta duos seniores. Septuaginta quidem qui starent circa tabernaculum, et duos, quorum alter dicebatur ELDAD, alter MEDAD, qui erant in castris: ii omnes administrationi et gubernationi praeerant. De duodecim quoque tribubus Israelis, quadraginta quatuor millium numerum sibi signasse et segregasse dicitur Deus Israelis: qui numerus etiam a radice senarii derivat. Ante Thronum illius et super arcam duo cherubim sex alas habentes apparuerunt Iesaiae, unde replicatum senarium, per primum suae progressionis gradum et secundum coitum, sunt duodecim alae. A sex diametrorum terrae cardinibus sunt duodecim venti, et sex diametrales ventorum oppositiones. Sex enim viae eaedem, aditus et reditus sunt subiectum.

TERTIUS ORDO.

Senario rerum generatio adscribitur, qui sexuplo elementorum concursu efficitur. Est quippe per altum ASCENSUS, et DESCENSUS, per latum PROGRESSIO et REGRESSIO, per profundum INCURSIO et EXCURSIO. Primus motus est ab imo ad altum. Secundus ab alto ad imum. Tertius a dextro ad sinistrum. Quartus a sinistro ad dextrum. Quintus ab internis ad externa. Sextus ab externis ad interna.

Sex vulgo motus species afferuntur. GENERATIO et CORRUPTIO secundum substantiam. AUGMENTUM et DIMINUTIO secundum quantitatem. ALTERATIO secundum qualitatem, et LATIO secundum locum.

Lationis vero, seu motus localis, sex sunt species. INCITATIO qua quid ab intrinseco suum corpus quasi interno citante agit. VECTIO qua aliquid portatur. PULSIO qua distans fit. TRACTIO qua propinquum. GYRATIO qua regulariter motum in eadem propinquitate et elongatione manet. QUASSATIO qua irregulari trepidatione agitur.

Sex ad actum atque complementum generationis concurrunt: AMOR, COITUS, SEMINATIO, CONCEPTIO, FORMATIO, PARTUS, quorum efficaciam a sex praefectis demanare aiunt Cabalistae, qui nostro idiomate dicuntur: AMATOR, UNITOR, SATOR, COMPREHENSOR, PLASMATOR, ORIENS. Quorum figurae sunt IGNIS, AQUA, OLEUM, VENTUS, NUBES, LAPIS, in Exagoni sex angulis ordinatae.

Sex ii actus in vegetabilium et omnium generatione, quaecumque sint, licet, proportionaliter saltem, si non aperta similitudine, contemplari. Primo enim MARITATIO consistit in potentia propagativa terrae et in propagabilitate (exemplo ut uno utar) frumenti. COITUS, cum semen terrae committitur. CONCEPTIO, cum sepelitur putrescens. FORMATIO, cum novae prolis matrici species succedit. NATIVITAS, quando editur in lucem.

Sex in productione et producto licet partes adnotare, ad FULCIENDUM, ERIGENDUM, PROFERENDUM, PROTEGENDUM, ORNANDUM, MULTIPLICANDUM. Ipsa sunt: RADIX, STIPS, RAMUS, FRONS, FLOS, FRUCTUS. Itaque a semine ad semen egressio et regressio per senarium tamquam a mensura, radio per circulum ducto, orbis completur universi circumferentia, ab efficiente.

DISTINXIT RADII TOTUM QUI LEGIBUS ORBEM.

Sex item in scientiae, generatione concurrunt. OBIECTIO qua species, potentiae praesentatur. INTENTIO qua obiecto potentia applicatur. CONCEPTIO qua eius speciei recipitur simulacrum. PHANTASIATIO qua sensibilem cum sensibili speciem componit aut disiungit, ABSTRACTIO qua, cogitativae virtute facultatis, ab individualibus denudat conditionibus. COMPLEXIO qua simplicem conceptum cum simplici, vel compositum cum composito, enunciando vel argumentando, confert.

Sex adcurrunt in omni artificio: AGENS, IDEA, INSTRUMENTUM, MATERIA, ACTIO, FINIS, seu summa seu perfectio.

Sex in omni opificio sunt concurrentia: CONSILIUM, VOLUNTAS, ARS, seu ordo, USUS seu exercitatio, VIS seu efficacia, ADMINISTRATIO.

## Subiecta actionis sunt

I. Lex
II. Religio.
III. Politheia
IV. Mercatura.
V. Disciplina
VI. Feriae, Exercitatio, Lusus

## Actionum genera sunt circa

I. Alimenta
II. Medicinam in genere
III. Indumentum
IV. Habitationem in genere
V. Ornamenta
VI. Militiam in genere.

## Actionum modi secundum primum genus sunt

I. Bene, Male
II. Apte, Inepte
III. Vere, Ficte
IV. Simpliciter, confuse
V. Perfecte, Imperfecte
VI. Decore, indecore.

## Secundi generis modi sunt

I. Architectonice, Mechanice
II. Theorice, Practice.
III. Oeconomice, Politice, Ethice
IV. Principaliter, Instrumentaliter.
V. Per se, Per alium
VI. Propter se, Propter aliud.

## Tertii generis modi sunt

I. Strenue naviter, Enerviter ignaviter
II. Efficaciter, Perperam.
III. Duriter acriter, Molliter segniter
IV. Viriliter Intensive, Effeminate remissive.
V. Agibiliter, Operose
VI. Faciliter, Difficulter.

## Quarti generis modi sunt

I. Audacter, Pusillanimiter
II. Sollicite, Desidiose.
III. Enixe, Negligenter.
IV. Intrepide, Trepide.
V. Expedite, Praepedite.
VI. Precario libere, Serviliter coacte.

## Circumstantium efficienti Primo in ordine sunt.

I. Convertens, Avertens.
II. Flectens, Deflectens
III. Approbans, Reprobans.
IV. Dictans, Edicens.
V. Animans, Deterrens.
VI. Impellens, Obligans, Repellens, Frenans.

## Secundo in ordine sunt

I. Acquiescens, Abnuens.
II. Permittens, Detinens.
III. Adhortans, Abhortans.
IV. Dux, Abductor.
V. Auxiliator, Impediens.
VI. Administrator, Opponens.
Compone a quocunque, et ad quemcunque cuiusque huius scalae ordinis, Primum gradum cum primo, et Secundum cum secundo, Tertium cum tertio, Quartum cum quarto, Quintum cum quinto, Sextum cum sexto: et videbis et facies, 1. AMOR, 2. LUX, 3. IGNIS, 4. ASCENSUS, 5. RADIX, 6. MARITATIO, 7. INCITATIO, 8. GENERATIO, est harum prima collatio.

## CAPUT VIII

DOMUS QUIETIS. HEPTADIS IMAGINEM APPINGENS, HEPTAGONUM CIRCULO INSCRIBO ET CIRCUMSCRIBO.

Ut seclum attingat septena cuspide caelum,Materies, in Opus quae promovet Ingenium omne,Constituat mediam perfecte se inter utrumque,Commoda ut ambobus patiens substrataque fiat,Quando Opus Ingenio obiectum circumfluat usque adContactum gyri, ut hinc Virtus indeque CuraOccurrant, et iuncta, brevi venientia fluxu,Aeque producto in dorso sint Materiei;Ut qua Materies extremis distat utrisque,Septenis videas vicibus fulcirier orbem.Septena caelum facili dehinc cuspide surget,Ut septena venit concrescens linea, tantoPer lateris medium punctum producta superne,Caeli extra septum, quanto comprensa sub arcuEt latere est comprensa minus quo non manet Aetas,Quam sit comprendens Tempus. Sic ergo seorsim estActio, Forma, Labor, Genius, Subiecta, Necessum.Quinis e costis docuit finita figura,Ut quaeque imparibus conflata est intus et extra.Gyro adscripta venit, quando circumfluit anglumOppositus gyri vertex laterisve supremum.

HEPTAGONI ANALOGIA AD HEPTADEM.

Heptadis est altum septeno dente retusum,Ac rapida venit incerti vertigine fatiQuidquid ab immota pendet variabile mente.Cuspide septena praesento numina septem hic:Falcata senior dextra, qui membra parentisAbscidit, Elysius moderator Iuppiter orbis,Mavors ardenti rutilus qui cuspide versatImperia; aurati iubaris, mundi atria complensRobore flammanti; pollens aliis dea flammisAlma Venus: virga venerandus penniger Hermes,Et trivia in caelo, in sylvis spectata, et in orco,Tempora distribuunt aequali pondere, secumQuae totum revehunt, certa serieque reponunt.Mulciber affabre haec caelavit numina septem,Thessalici ducis in scuto, cum tempora cuiqueAptaret domino, magni revolutio secli.Descendit circumgyrans ab Apollinis orisBacchus, principium captans a Sole, volucremUsque ad Mercurium, qui te ad primordia LunaeTransmittit gyro in lucis spectanda secundae:Iuppiter ad Martem, ad Hermetem te Venus urget,Inque Iovem Saturnus agit, Sol in Veneremque,Falcigerum inque senem Lucina, ast ille redirePraecipit ad Solem, Bacchi remeantem ab oris.Atque ita, perpetua serie, septem illa gubernantNumina, seclorum prolem: dum bis duodenasAequas in parteis revolutio facta diurnaConstiterit, veluti duodeni, corpora, signiMomento, varie vegetant. Sic Spiritus omnisVitae ac fortunae parantur ob heptadis actus;Atque futurorum vicibus pereuntia seclaMateriam linquunt concessam, tempore certo.Per tetradem deducta trias peperit duodenos,Ut trias adiecta ad tetradem dat nomina septem,Unde fluit miseros agitari terque quaterque;Atque alii consistunt terque quaterque beati,Ut cuncti, aut quidam sunt dextri, aut forte sinistri.Horas atque dies, et menses, temporaque anni,Numina distribuunt rebus proprio ordine septem.Septimus hinc hominis revehit discrimina, quiqueAnnus, fortunae ac vitae, qua nempe revisitOrdia, aditque novos exorsus progenitura:Hinc climacterem atque scalarem nominitaruntIllum prae reliquis, qui septenaria septemTerminat; elapso hoc, festum celebrare vetusti:Sic septem ad primas species sunt cuncta relata,Fortunis septem veniunt abeuntque: ita summusAbsolvit septem seclum pater ille diebus.Telluris moles lato et perspecta profundo,Spiritus asseruit, de septem partibus, unamObtinet undantem: septemque oculi omnia lustrant.Principibus septemque aliis moderamina secliNempe secundaeis tribuunt decreta magorum;Sic annis luces distinguunt, lucibus horas.Hoc numero variare vices quoque Luna reperta est,Et septem circa hunc Solem discurrere Nymphas,Per gyrum vitae spaciosum, luce perenni,Nostrum pulsantes oculos, plaudente chorea;Atque super septem

domus aedificata columnas,Divinae Sophiae dicta est; septemque sigillis,Naturae arcanum conclusum; septimaque aurumFlamma probat, numero hoc sontes Lex expiat; inqueIordanis lymphis Syrus, quem septima lavitUnda, fuit Naaman, torpentis pondere lepraeExcusso, laetus. Toties cadit atque resurgitQui duplici vita potis est incumbere mentis,Legibus et fati succumbit pondere pressus.Tot vicibus Celtes, Syrus, Chaldaeus, Hebraeus;Postque ipsos, Graecus, Latialis presbyter, istoTempore cantandos per luces surgit in hymnos,Palladio vicibus septemque altare liquorePer septemque dies conspersum praecipit, atqueSeptenis sacrare manus suevere diebus,Et vitulos septem rapidis committere flammis,Sacrificos sancta decuit procedere vesteIntectos, totidem per luces, nempe priusquamOfferrent munus primum, ac solemne, ministri.Collibus in septem Balaamus struxerat arasNempe precaturus mala cuncta, per omnia secla,Saturni populo reparanti tristia secla.Qui reus in seclo crimen non expiat isto,Fertur, septenos functi protendere in annos,Pollicito septem vicibusque ignoscere fratriIniunctum est, denis septenis parcere postquamIndulctum est vicibus septem, per verba prophetae.Per luces etiam septem, ieiunia servant,Qui poenas proprio, sontes, de pectore solvunt,Et functos vita numero hoc lugere dierumConcessum: totidemque immunda est foemina fundensMenstrua; et illius commercia foeda perosus,Qui non a tactu abstinuit, disclusus ab ara est.Septenis glauca latuit caligine Moses,Cum fieret viso Hebraeorum numine laetus:Rexque Nabucdonosor complevit tempora septemCaeli rore madens; in sylvis antra ferarumIncoluit ferus, haud hominum commercia passus.Septenis annis arsit Gog: mensibus inqueSeptenis iussus sepeliri, ut terra profaniMunda foret. Post haec nequam si spiritus exul,Quando iterum latebras desertas ille reviset,Consortes revehet secum septemque scelestos.Efflavit misero infelix de pectore septemDaemonia, ut numerum referuntur crimina ad istum;Praecipua ut septem constat cervicibus hydra,A quibus innumeros in ramos spargitur inde.Balthasar expositus septemque leonibus, apteIndicat, ut septem uxores maris unius esseIn gyro valeant, per alius dicta prophetae:Tuti ne videant pavidae discrimina mortisAn non pastores septem, terra Assuris, atqueNymbroti, armato gladio conspexit et igne?Vastator Sympson, pro septem crinibus ultroIntonsis, fertur mirandis viribus acer.Pathmius hunc celebrat numerum persaepe prophetaAuribus ut pleno insinuantur spiritu ab illoSeptem oculi, septem candelae, labraque septem,Tot coetus, totidem rutilanti corpore stellae,Cornua, cervices monstri, diademata, Reges,Ora, tubae, plagae, phialae, irae, fulmina, montes.

SCALAE HEPTADIS

PRIMUS ORDO.

Septenarius est numerus Quietis, Gubernationis, Temporis, Laetitiae, et Triumphi, sicut thronus Salomonis sedesque regia post sex graduum ascensionem sequitur: nempe quies post motum, requies post laborem, post operationem consummatio, status post mutationem. Quiescere in septimo puncto non ex divina institutione modo: verum et ex aperta quadam necessitate, naturaeque ordine, consultissimum esse constat.

Perfectionem foederis, oblatione septem agnarum, cum Abimelech contestatus est Abraam. Tollentibus sacerdotibus septem buccinas, septies circumierunt Hiericho sub duce Iosue, ut funditus corruerent illius muri.

Numerus Probationis iuxta illud: Eloquia Domini argentum igne examinatum probatum septulum: Septies in die cadit iustus et resurgit.

Laudis numerus iuxta illud: Septies in die laudem dixi tibi, Deus.

Adsistentiae iuxta id quod apud Tobiam: Ego Raphael Angelus unus ex septem qui adstamus ante Dominum. Et Apocalypticus: Septem, inquit, spiritus qui sunt in conspectu Throni, septem quoque malo principatu principes adstant daemones, et septem nequioribus spiritibus, secundum omnes potentias, alligatur anima, et corpus foedatur. In cuius rei figuram septies lavit se Naaman, septies ungebatur altare, ad septem dies, et alia multa relata.

Numerus, quo per dona intellectus, in ultimo felicitatis gradu constituitur anima. Iuxta Salomonis sententiam, Sapientia excidit columnas septem aedificans sibi domum.

SECUNDUS ORDO.

Alias, septem hortos, septem mineras, septem greges, septem campos, septem legionum duodenaria, septem sylvas, septem domos, septem colores, septem gestus, septem figuras, septem caracteres, septem sigilla, septem nomina, septem carmina, septem lapides, septem gemmas, septem virtutes, septem vitia, septem favores, septem nocumenta; quae sunt attributa septem Planetis, explicabimus et examinabimus sub naturae gestibus, quae de vita, ad caelestium configurationum normam, comparanda dicunt Medici et Astrologi et alii, quoniam propriam, et distinctiorem exigunt tractationem.

Septem bene affectorum principum dona: A Iove gubernandi facultas. A Marte animositas, et acrimonia. A Sole, sensus claritas. A Venere, ornata et gratiosa affectio. A Mercurio, solertia et interpretativum eloquium. A Luna foecunditas. Per huius similis proportionalisque septenarii adeptionem, beati dicuntur Terque Quaterque.

TERTIUS ORDO.

Septem Platonici vacationis genera numerant: 1. COMPLEXIONIS TEMPERIEM. 2. Lucidam et subtilem MELANCHOLIAM 3. SOLITUDINEM. 4. ADMIRATIONEM. 5. ECSTASIM. 6. PURITATEM. 7. SOMMUM.

Septem mensium intervallum, humanae speciei foetus in utero formatur. Septimo mense dentit. Septimo aetatis anno mutat dentes. Quarto decimo (Secundo nempe septenario) pubescit. Vigesimo primo (Tertio nempe septenario) adultus est in longum. Vigesimo octavo (Quarto scilicet septenario) adultus est in latum. Trigesimo quinto (Quinto septenario) adulto est robore corporis. Quadragesimo secundo (Sexto septenario) adulto est Iudicio. Quadragesimo nono (Septimo videlicet septenario) adulta est, quacumque praeditus esse Fortuna potuit. A Septimo Septenario (ab hoc inquam termino) fit declinatio (secundum universum loquor atque speciem, non autem iuxta particularium conditiones, quae ex perturbationibus materiae contingunt) ut omnia simul paullatim, lenteque in subiecto contemperatiore defluant, dentes, pili, longitudo, latitudo, robur, iudicium, sensus. Itaque homini per hebdomadas accidunt mutationes Geniorum, facultatum, fortunarum. Septem spicis plenis succedunt inanes: septem bobus pinguibus, macilentae, et e contra, iuxta ordinarium cursum: sed rerum fato interdum prudentia maior: et methodus certa est eorum qui natura, libidine, et casu aguntur. Sed horum ultimos tutiores esse compertum habemus: et in rebus difficillimis quam prudentes et audaces extiterint, vel si cum aliquanta prudentia praecipitanter audaciam admiscuerint, ut Iulius Caesar, quia SOLLICITUDINE ADVERSUM ANTEVERTITUR FATUM.

Septem sunt DURATIONIS differentiae. Prima est AETERNUM et TEMPORALE. Cui subordinantur, perenniter, semper, quandocumque, numquam, interdum, aliquando, quoties.

Secunda, ANTIQUUM et RECENS, cui subordinantur, olim, dudum, iam, nunc, multo vel paulo ante, multo vel paulo post, exoletum, inveteratum, antiquatum, neotericum, imminens, instans, remotum, ante hoc, vel post hoc, dum hoc. Senectus, Iuventus, Pueritia.

Tertia, PRAETERITUM PRAESENS ET FUTURUM, quibus adstat ante, nunc, post, heri, hodie, cras. Seculo et anno elapso, praesenti, et venturo. Item Aetate, Olympiade, Indictione, Mense, Die, Luna, Aestate, Vere, et alii mille iuxta tres hosce terminos. Anticipans, anticipatum, simul, in posterum, tandem, ad extremum.

Quarta, in PRINCIPIO, MEDIO, FINE, quibus adstant antea, dum, postea, demum, hactenus, modo, praeterea.

Quinta, CONTINUE FREQUENTER RARO, cui subordinatur Assidue, saepe, crebro, solito, non intermisse, alternatim, quandocumque, toties, quoties, interim, pro more, extra morem, praeter consuetudinem, semel, bis, ter, pluries, usque.

Sexta, CITO, TARDE, cui subordinatur, longitudo, mora, diuturnitas, grandaevitas, maturitas, immaturitas, tempestivitas, intempestivitas, sero, lente, ocius, celeriter, brevi, citatim, raptim, contracte, actutum, repente, extempore, ex praemeditato, expectatum, non expectatum, ex abrupto.

Septima DIURNUM NOCTURNUM, quibus adsunt, matutinum, vespertinum, ortus, occasus, diluculum, vesperugo, meridianum, merinoctium, et reliqua.

## CAPUT IX

## DOMUS

Octoadis imaginem appingo, et Octagonum circulo inscribo et circumscribo.

Octoadisque en hic numeri plenique figura,Iustitiae vera archetypus Samio sapienti.Scilicet haec numero pariter pare constituatur,Atque huic quo genita est similem genit atque propagat;Principium pariter parium primum atque elementum.Hinc suerunt festum numero solemnius istoConcelebrare, velut iuste solvendo parentiSacra, dei obsequio, totidem absistendo diebus:Utque decora cluit totidem de partibus illa,Quam circum splendent nitidis rutilantia flammisNumina, quae innectunt mortalia pectora caelo,Humanae mentis quibus illustratur horizon,Relligio, Officium, Pietas, Constantia, Verum,Integritas, Probitas, Vindicta, et Gratia suavis.Aspicis ergo aedeis octono cardine cinctas,Ut Ratio est medians, cui vires octo ministrantAdstantes circum: primum vis ignea Visus,Auditus pronis intentusque auribus, indePhantasia species sibi componitque receptas,Et quae ultra sensum scandit primum,Et quae omnem sensus gazam ingeniique recondit,Mnemosine. Post hanc Intellectiva facultasProxima, cui primo accedit Speculatio simplex,Tandem et Discursus de noto ignota receptans.

Accipe ut e medio haec tibi circumductio surgat:Quantalibet gyrum tribuat distantia primum,Illius hinc radius duplo concrescat, et aequumConcipiat gyrum reliquum cui continuetur,Et cuius centro radius finitur, ut amplusCirculus hinc fiat, (nisi sit tibi traditus idem,Dissectoque siet radio geminus tibi cyclus):Contactus punctum, quo cyclum parvulus unusAttingit reliquum, centrum tibi fiat, et illud,Quo scindit magnum, radii sit terminus eius,Quo minor est scissus mediocre et unus et alterGyri, quod minimos arcu nectente gemellosArcum definit, magni qui terminus eiusEst lateris, vicibus quod totum sustinet octoQuo visum radiat directa cuspide Titan.Dissecti lateris quantum infra punctus habeturMargine comprensus, tantum venit angulus extraCircumscribendae formai octo lateralis.Namque sagittae pars, quanta est comprensa sub arcu,Quam medius chordae punctus substentat, et extraTanta habet et recipi: nam quando extrema coibunt,Perfectum est totum ut iuncta est cum cuspide cuspis.Dimetrus ex anglo oppositum quae tendit in anglum,Consimilem gyro circumscribetque figuram,Si istud continue extremum circumfluat illud,Ut paribus constans numeris est quaeque figuraCyclo adscripta super, postquam est inscripta sub orbe.

## OCTOADIS SCALAE

## ORDO PRIMUS.

Octonarius numerus Repetitionis, Iterationis, Loci, Inchoationis, et Regenerationis, Innovationisque est numerus, ideo imperfectus est, quia a numero septenario cadit. Anno octavo serit qui septimo quievit; Die octava laborare incipit, qui septima quievit. Septem dierum perfectus numerus complet statum generationis. Primus dies post septimum regenerationi, a Iudaeis per circumcisionem, et a Christicolis per baptisma, destinatur. Hinc foetus, qui octavum numerum subivit, tamquam ad exortus primos uterales revolutus, ineptus est ut vivat tamquam maturatus ad incunabala extra uterum capienda quae in attactu ipso octavi, vel circa terminum septimi, feliciter adoriretur. Et aiunt quod si pater ad octavi mensis eos terminos concubuerit, foedata cute affectum puerum, et sordida complexione inspurcatum faciet. Sed hic effectus non tam a numero, quam ab aliis procedit accidentibus: sicut etiam quod refert Coelius de infante qui octavo conceptionis mense, noctu, Saturno in statione prima in signo Sagittarii ascendente, semivivus licet prodierit, remediis tamen et fomentis medicis adiutus, facultatem vitae ad competentem usque aetatis terminum est adsequutus: haec quippe et maiora per artem contra ordinarium naturae cursum fieri possunt: quinimo nihil intelligo in natura particulare, cui necessitatem absolutam atque simpliciter attribuam.

Hic numerus Pythagoricis Iustitiam significat, quod aiunt primus est solidorum, primusque omnium inter numeros pariter pares, nempe bis quaternos, qui mox in bis binos dividuntur, dispescitur. Bis enim bini bis, octonarium

constituunt. Et Orpheus cum divinam iustitiam vellet obtestari, per numina octo iuravit, quorum nomina et praesidentiae sunt:

I. Vulcanus - - Ignis - - Caliditas
II. Oceanus - - Aqua - - Humiditas
III. Ceres - - Terra - - Frigiditas
IV. Coelius - - Coelum - - Diaphanitas.
(Nempe)
V. Apollo - - Sol - - Lux
VI. Diana - - Luna - - Fulgor
VII. Phanes - - Frus - - Umbra
VIII. Chaos - - Nox - - Tenebrae.

## SECUNDUS ORDO.

Octonarius numerus in genere corporeorum atque sensibilium, utpote perfecte par, atque quadratus est, ut in aedificiis nostris, quatuor latera octo terminantur lineis punctisque primo, proindeque a numeris qui ab octonarii radice prodeunt, ut sunt sexdecim, trigintaduo, 64; et alii proinde in eodem pariter pares ordine. Sed pro loco, alius numerus aliis debetur locatorum speciebus. Exagonas enim apes sibi domos constituunt. Aranearum quaedam propter numerum tibiarum exagonas, quaedam tetragonas. Serpentum genus, avium, et ferarum plurium, rotundas. Reis trilatera loca et trilinealis figurae, tamquam indignis loco, tellure, sepulchroque, olim destinabantur, non sine maioris (etsi defunctis) supplicii nota, ab iis qui id se non temere facere cognorant. Octo sunt adaequatae locales differentiae INTUS, EXTRA, SUPRA, INFRA, ANTE, RETRO, DEXTRORSUM, AD LAEVAM. Octo cardinibus secunda numeratione sub primis quaternis definiuntur Motus stationes. Sicut enim in caelo sunt. 1. ORIENS. 2. MERIDIES. 3. OCCIDENS. 4. SEPTENTRIO. 5. Punctus medius INTER ORIENTEM ET MERIDIEM. 6. Medius inter MERIDIEM, ET OCCIDENTEM. 7. Medius inter OCCIDENTEM, ET SEPTENTRIONEM. 8. Medius inter SEPTENTRIONEM, ET ORTUM. Ita octo sunt rerum vicissitudinem, termini distinguentes.

## TERTIUS ORDO.

Octo sunt in secundo ordine locales differentiae. Prima est DOMESTICUM ET PEREGRINUM, cui adsunt Alienum, Consors, Advena, Inquilinus, Indigena, Exilium, Patria, Peregrinatio, Lares.

Secunda LONGE ET PROPE, cui adsunt Abstans, Praesens, Adstans, Iuxta, Accedens, Recedens, Adactum, Abactum, Attingens, Adsidens, Absistens, Contiguum, Sepositum, Finitimum, Longinquum, Affine, Caelum, abyssus, profundum, sublime: aer, aqua, terra, penes, iuxta.

Tertia EXTERNUM ET INTERNUM, cui adsunt, Circa, Intra, Intestinum, Insitum, Iniectum, Deforis, Centrale, circumferentiale, conceptum, partum, eductum, inclusum, exclusum, continens, contentum, comprehensum, circumscriptum, definitum, concavo, connexo.

Quarta DESERTUM ET TRITUM, cui adsunt, devium, pervium, inhabitatum, incultum, frequentia, desolatio, sublime, imum, mons, vallis, clausum, hians, Gurges, Sylva, Charybdis, Fovea, Orcus, Civitas, Domus, Templum, Cenaculum, et reliqua.

Quinta SIMUL SEPARATIM cui adsunt, Intervallum, medium, spacium, iunctum, abiunctum, infixum, avulsum, continuum, discretum, haerens, semotum, unitum, distinctum, intercedens, consequens, contextum, copulatum, disgregatum, diductum.

Sexta CITRA, IBIDEM, ULTRA, cui adsunt Ante, Post, Retro, a Fronte, a Tergo, in corpore, in primo, in medio, in postremo occursu, ad caput, ad dorsum, ad pedes, ad caudam.

Septima OPPOSITUM CONCURRENS, cui adsunt, E regione, contra, ex adverso, diametro coniuncta, trigono, tetragono, exagonoque aspectu se respicientia: tanto spacio, tot signis, vel stadiis seposita; hoc vel illo situ figurationeque coordinata.

Octava APPOSITUM et INCOMPOSITUM, cui adsunt, Commodum, incommodum, capax, incapax, configuratum, inconfiguratum, locatum nempe cum loco, adiectum cum subiecto, adiectum cum adiecto, subiectum cum obiecto, pars cum parte, pars cum toto, totum cum toto.

## CAPUT X

## MUSA.

Enneadis imaginem descriptam do.

Enneadis domus explicita est exinde sacrata,Quam si nosse cupis, velut olim struxerit almusMusarum pater, huc mentis convertito lumen.Finibus aequali distinctis intervallo,In senas postquam partes est circulus actus,Heic centrum Mens est. Caeli via Apollinis axisPer Mentem archetypae penetrans usque ora DianaeOrbis qua facile in partes dispescitur aequasIllius ut dextram radius nempe atque sinistramDistinguit ternas in partes ut Bonitati,Quam prope Apollo Charis Bonitati est, huicque DianaSuccedit: pariter caeli pars altera surgatQuantum ubi distantem Fortunam cernit Apollo,Tanto et ab Erigone est Fortuna hinc, inde Diana.Inde per Erigonem et Fortunam tramite iactoPerque Bonum et Charites qui ultro percurrat utrinqueAd geminas usque has quae in Apollinis atque DianaeAttingunt caelum punctis, unde angulus aequusExibit quatruplex: Pluto hunc, et Iuppiter illumObtinet; et reliquos, Saturnusque

Oceanusque.Si mox per medium caelum Saturnus ad orasOceani veniat, tangat Pluto Iovis altumIn quatuor punctis caelum findetur utrinque,Qui quanto absistunt axis de cardine utroque,Tanto edunt arcus tractum laterisque petitum.

## NONAGONI ANALOGIA AD ENNEADEN.

Alma trias numeri propriis si partibus ipsamIntegram referat, primogenita Enneas exit:Nempe Hierarchiae triplicis vis, qua referenteTris gradibus triadem, consurgit nonuplus ordo.Mitte etiam ut trias est per se deducta, per omnemEt Monadem, et quidquid monadis de fonte resurgit,Innumeros rerum partus miro ordine signat,Celsum et in obtutum specierum lumina mentisPromovet: atque ut se generatim cuncta propagentEdocet in propriam formam, effigiemque alienam.Inde novem toto numerantur in ordine Musae,Ad numeros plectri moderantis Apollinis, altisSaltantes modulis: totidemque animae esse recessusCernimus: ad mentem totidem perducere portas.Ut videt hoc animal, digestaque trutinat aure,Ut confert visa auditis, phantasiat, ex iisEducit formis occulti plasmata sensus,Cogitat, et Meminit, Discurrensque arguit, atqueAd species Intellectus consurgit apertas.Hisce novem, veluti foeturae, mensibus indeParturiunt, nec enim se partus continet ultra.Symposium faustum, numero de simplice adortum,In triadis minimo, Enneadis summoque quiescit;Ac de compositis, fundamine surgit ab istoFormato per se aut triadem, novies novem, aut ter.

### ENNEADIS SCALAE

## ORDO PRIMUS.

ENNEAS est Intelligibilium cognitionis et sapientiae numerus. TRIPLICEM celebrant Platonici trinitatem. PRODUCTORIAM, CONVERSORIAM, PERFECTORIAM. Harum Prima est Bonum, Intellectus, Anima. Secunda Mercurius per Rationem ad sublimia revocans: Venus per visum alliciens ad superna: Phoebus, per auditum, spiritum extollens: Mercurius ad Bonum quod est Voluntatis obiectum: Venus ad pulchrum quod est Intellectus obiectum: Phoebus ad Animam, quae numerus quidam est harmonicus, spectat. Tertia trinitas perfectoria, singula, quae repetit in secundo ordine, superiori priorique adcommodat ordini. Per vitam ducit ad Animam, per cogitationem ad Intellectum, per voluntatem ad Bonum.

## SECUNDUS ORDO.

Magi, Cabalistae, atque Platonici Christiani tres agnoscunt Angelorum totidemque cacodaemonum hierarchias: quarum in tres singulae distribuuntur ordines; quorum Infimos tres Areopagita appellat Purgantium: Medios tres Illuminantium: Supremos tres Perficientium: Illorum Haebraica, Latina, et Persica nomina sunt vulgata. Horum figurae sunt novem gemmae.

Sardius - - Topacius - - Iaspis -

Chrysolythus - Onix - - Berillus -

Saphyrus - - Carbunculus - - Smaragdus -

NOVEM PLANTAE.

Palma - - Oliva - - Vitis -

Ficus - - Amygdalus - Nux -

Pinea - - Laurus - - Myrtus -

NOVEM ANIMALIA.

Aquila - - Homo - - Leo -

Columba - - Ovis - - Aries -

Turtur - - Cervus - - Taurus

NOVEM ALIUS ORDINIS.

Accipiter - - Behemot - - Draco -

Leviatan - - Lupus - - Ursus -

Aper - - Mulus - - Equus -

SUB IIS NOVEM FELICES EFFECTUS.

Amor - - Votum - - Spes -

Gratulatio - - Consolatio - - Visio -

Possessio - - Honor - - Gloria -

NOVEM INFELICES.

Odium - Ira - - Desperatio -

Invidia - - Indignatio - - Furor -

Luctus - - Contemptus - - Gehenna -

## TERTIUS ORDO.

Tres fuerunt principio Musae, quas Pierius Macedo dicitur in novenarium explicasse. Quia novenario foetus humanus perficitur: nona quippe Luna a prima conceptione explicatur. Neque temerario quodam casu, poeticum opus indicans: "Nonum prematur in annum" dixit ille: illius nempe numeros, Musarum numeris, absolutos, profundioribus exquirens. Nunc circa trium parentum singulas, trinam prolem, ut melius potes, considera.

Novem sunt cognoscitivae potentiae in homine: VISUS, AUDITUS, GUSTUS, TACTUS, OLFACTUS, PHANTASIA, COGITATIO, MEMORIA, RATIO.

Novem sunt in homine indicatoria: FRONS, OCULUS, OS, LINGUA, BRACHIUM, MANUS, PENIS, GENUA, PEDES.

Huc pertinent multae Veritatis et Intellectus Enneades, de quibus alibi proprius, ut circa Palladis statuam, in libro Triginta statuarum non edito sed scripto.

Novem sunt sub LUCE, OCULO, et VISIONE termini. Sub Prima, inquam, tres: REVELATIO, INSPIRATIO, DOCTRINA. Sub Secunda tres: FIDES, DISCIPLINA, DUBITATIO. Sub Tertia tres: EXPERIENTIA, APPLICATIO, CONTEMPLATIO.

Novem sunt sub CAECITATE, MALITIA, et IGNORANTIA termini. Prima Addiscentis. Secunda docentis. Tertia doctrinae seu scripturae. Sub Prima tres, INDISCIPLINATIO, CONSUETUDO, CREDULITAS. Sub Secunda tres, ADDITIO, SUBTRACTIO, MUTATIO. Sub tertia tres, AMPHIBOLIA, CONTRADICTIO, FORMATIO, in primo ordine. COLLECTIO, EXPLICATIO, DECLARATIO, in secundo ordine. OBIECTIO, SUBIECTIO, COMMENTATIO, in tertio ordine.

Novem divinae voci, cui omnes sensus (nempe infinite significanti, non ut ut nostrae definita intentione prolatae dictiones) iure optimo congruunt sub quocumque, qui verbis expressius aperitur, sensu, quem literalem scholastici appellant; quorum primus est HISTORICUS, quem Thalmuticum dicunt Iudaei, qui res gestas Dei, Numinum, et hominum aperit. II. PHYSICUS rerum sensibilium naturam et ordinem insinuans. III. METAPHYSICUS, qui res divinas definit, vel de eisdem aliquid demonstrat. IV. ETHICUS, qui ea ad mores et exempla, quibus in nobis ipsis et ad alios reformemur, edicit. V. LEGALIS, qui affectus, opera, cultus, et ceremonias instituit, et aliis pro meritis distribuere et retribuere ordinat. VI. ANAGOGICUS, qui res unius scripturae vel partis vel voluminis significantes res alterius scripturae partis atque voluminis complectitur: a sensu item rerum visibilium extollit percipiendum ex ordine, communione, concatenatione, et analogia rerum ad res et a rebus. VII. PROPHETICUS, qui per ea, quae de praeteritis habentur, rerum praesentium statum explicat aut etiam intelligit: vel qui de absentibus atque de futuris dicit vel etiam iudicat, per ea quae coram sunt vel praesentia: vel absque mediis sola concitatione vocis, literaeque dictamine furit. VIII. MYSTICUS, qui sub aenigmate, et omnibus enumeratis sensibus impervio dictamine, claudit ea quae paucis vel nulli in praesentia revelantur: quem sensum Cabalisticum appellant Iudaei. IX. TROPOLOGICUS.

Non solum novem sensus in quacunque divina dictione (qualis est Mosis, Iobi, Davidis, Salomonis, et his similium Hebraeorum: Hesiodi, Orphei, Homeri, Sibyllarumque repentino furore accensorum ut vasa divinitatis eloquentis essent), sed etiam novies novem debebis adtendere, quandoquidem hi sensus non solum ad literae (grammaticae nempe rationis) expressionem sunt divisi: sed et certe in omnibus insiti, impliciti, adnexi, uniti. Sic enim in divini verbi sensu uno sunt omnes, ut sensus unus est in omnibus; quamvis alius alibi explicatur ad nostrum captum: quemadmodum mens eius, qui dicit, est omnia in omnibus: sensus enim divinus in litera est sicut in corpore anima: ubi corpus est secundum unam partem in uno, secundum aliam in alio spacio atque loco; anima vero (sicut vox et sonus) ut est in toto, et in quacunque parte, tota est. Quinimo sicut anima a corpore non comprehenditur; sed sine modo (quem quilibet possit digne audire) corpus comprehendit: ita et divinus sensus per divinam literam non definitur, sed in sua infinitate et absolutione extra atque supra illam permanet et extenditur. Interim nullus, absque expresso lumine, sensuum se praesumat explicatorem: sed qui congruentia secundum omnia, et convenientia de arca ingenii poterit adducere: neque infelici grammatica illa perniciosa, imperitaque invidia, literae immensus augustissimusque alligandus est sensus usque adeo balbutienti, ut neque ad sensus humanos explicandos sufficiens existit, ubi innumeris conceptibus, et intentionibus infinitis, certus definitusque vocum numerus debet inservire.

Propositum subiecto insinuamus archetypo: ita reliquorum singulos per se ipsos (nempe ubi una historia aliam significat historiam, una lex aliam, et unum quodlibet aliud eiusdem generis) atque per alios, omnes sensus deducere docente: sicut signum A per A et reliqua octo deducitur elementorum. Ibi A significat Historiam, B Physicam, C Metaphysicam, D Ethicam, E Legem, F Allegoriam, G Analogiam, H Prophetiam, I Secretum.

## CAPUT XI

## MUNDUS.

Decadis domus et Archetypus, cuius simulacrum decagonum est appictum in Scuto.

Principium primum Monas et substantia prima, Verum, omne, existens, quo sunt vera, omnia, et unum. Inde Dias rebus tribuens discrimina primum, Per quam diversa, et quae sunt contraria, constant. In Triade adversa et contraria currere in unum Compositum possunt, per quam omnia foedera fiunt. Per Tetradem solida est data consistentia, agensque Et patiens, locus, et tempus bene distribuuntur. Pentadis officio media, organa, sensus, et artes Pro modulo activum passivaque proxima nectunt. Coniugium et rerum generatio ab exade perfit: Ad finem properans praxis motusque sub ipsa est. Heptadis est requies qua feriat omne laborans, Et consummatum semet reflectit in ipsum. Iustitiae archetypus comprenditur Octade, qua res Servantur, servant, tribuunt, et grata rependunt. Consimile a simile Enneadis deducitur usu, Tartarea ut novies lympha interfusa coercet. Simplicium numerum claudit Decas atque recludit. Fontibus ex istis quidquid coalescit in unum, Et numeri genus omne tenet, genus omneque ad ipsam Respicit: hanc omnis ratio atque proportio spectat, Usu hominum, monadis repetens exordia meta est: Immensi numeri parium impariumque reponit Haec species cunctas, vehit et discrimina cuncta. Accipe nunc veluti domus haec formata perenni Consistit specie, primae dictamine mentis, Fallere metriae quae comperietur ad usum. Circa Opus Ingenium magnum confluxit in orbem Qui latere obtensus deno consisteret, inde Lux ergo Morphe ut circa ipsum lata repertum Subiectum capiet, gyri est ubi pervius illi Punctus gyranti. Morphe radio huic sociatur Et circum gyrat, quo fluxu Tempus et Aetas Occurrunt secta in maioris margine Cycli; Tunc si Subiecto nectantur Tempus et Aetas, E denis binas signasti in margine costas.

Ibi AB extrema et media ratione dividitur, quando ipsi ad angulum rectum aequalis capitur AC. Moxque AB bisecta in puncto O, quanto distantia CO superat distantiam O A, tanta inter A G O capiatur A D, et habes primum propositum.

Mox triangulum aequicrurum habebis, cuius angulus ad basim duplus est reliquo, si B circumfluxum faciat circa A, ubi in peripheria aequalis ipsi BD adcommodetur BE, quod E fluat in A, et habes secundum propositum.

Tandem pentagonum facies aequalibus ipsi AD captis AF, EG, BH. Rursum aequales ipsi AB per punctum G fluente B, et per punctum H fluente E ducantur BK: et EI, et habebis tertium propositum.

Circulum circumscribes et decagoni puncta invenies si anguli externi infinite fluant 1. E per D. 2. B per F. 3. I per G. 4. K per H. 5. ut postea circa centrum, in quo se fluxus intersecant, circumfluat A, et arcus Decagoni A M definiantur pentagoni filii.

Quod si inscriptio pentagoni in dato circulo petitur, aut decagoni, circa rectam AN angulo EAB aequalem facies: et opere Solimj te ad portam Veneris, adducentis.

Ubi circulo pentagonum vel decagonum circumscribere intendas, consule Oceani sigillum.

### SCALAE DECADIS

## PRIMUS ORDO.

Denario rerum genera distribuuntur, plenitudo nempe entis intelligitur explicari; quia et decem sunt rationes, quibus primum principium bonum atque causa rebus se communicat, diffundit, et applicat. Suum enim propter Esse ille producit 1 rerum Substantiam, 2 sua Magnitudine Quantitatem, 3 Sua Pulchritudine Qualitatem, 4 Paternitate et Dominio Relationem, 5 Omnipotentia Actionem, 6 Omni agitatione Passionem, 7 Omnipraesentia Ubi, 8 Aeternitate Quando, 9 Providentia Dispositionem et Situm, 10 Plenitudine Habere.

Hinc Decem illi Indumenta (quae Sephiroth Mecubales appellant) adtribuuntur. Indumentorum nomine celebrata, quia deum in substantia absoluta innominabilem et incomprehensibilem non significant, sed externis quibusdam respectibus, tamquam lucis inaccessibilis velaminibus. Ipsa sunt EHIEH, HOCMA, BINAH, KEIHER, NEZAH, HOD, TYPHERETH, GEBURAH, MALCUTH, HESED. Hinc et decem quaestionum numero, omnis rerum et intentionum inquisitio, inventio, et iudicium definitur. 1. UTRUM, sub qua sunt tres differentiae: Prima affirmati et negati; Secunda crediti et dubitati; Tertia certi, rati, et ficti seu apparentis. 2. QUID sub qua sunt, Primo quid nomen; Secundo quod genus; Tertio quae essentia propria seu differentia. 3. QUANTUM, sub qua sunt, Primo Momentum, Secundo Numerus, Tertio Magnitudo. 4. QUALE, sub qua sunt, Primo naturales facultates, Secundo habitus et dispositiones, Tertio actus interni ut contemplationes, passiones, et externi ut figurae. 5. QUARE, sub qua sunt, Primo Causaliter, Secundo effectualiter, Tertio Finaliter. 6. QUATENUS, sub qua sunt, Primo Est, Secundo Potest, Tertio Agit. 7. QUANDO, sub qua sunt, Primo Duratio seu rei vita, Secundo Sideratio seu constitutio caeli, Tertio Ordo seu vicissitudinis ratio. 8. UBI, sub qua sunt, Primo ut in principio et conservante, Secundo ut in genere, loco, et patria, Tertio ut in partibus et subiecto vel toto. 9. QUOMODO, sub qua sunt, Primo sub alio, Secundo in se, Tertio ad aliud. 10. QUO, sub qua sunt, Primo concomitans, Secundo Possessum, Tertio Medium, via, et instrumentum. Quae sane decem vicissim se ipsis suisque speciebus et subalternatis singula formant omnia, et (ut in Enneadis figurae irradiationibus est manifestum) formantur ab omnibus.

Decem subsunt ex quinque differentiis veri species.

In primo ordine est VERUM. In Secundo ortus Solis, et Eclypsis. In tertio meam numerationem esse vel futuram hanc. In quarto me numerare. In quinto me numeraturum quod nunc numero. In Sexto me (cum numeraverim) numerare. In septimo me numerare vel numerasse. In octavo me simili tempore numerasse vel (cum numerem) numerare. In nono verum me numerasse. In decimo me praeterisse hos numeros.

Decem habemus entis species (accidentia enim entis, et circa ens, in serie creaturarum, nec a Mose nec ab alio sapiente, enumerantur.) 1. ABYSSUS, seu umbra, et spacium. 2. LUX Mosi primogenita. 3. SPIRITUS, aer, aether, animus. 4. AQUA Mosi, seu natura humida Trismegisto. 5. ATOMUS Democrito, Arida Mosi, Terra Empedocli: quinque primaria simplicia, quibus totidem succedunt composita. 6. DII ex simplice lucis substantia cum Spiritu vel Animo, qui votis et iustitia delectantur. 7. DAEMONIA ex aqua ex spiritu, quae delectantur sanguine plura: quorum minus impura odoribus vegetabilium et aromaticis capiuntur. 8. ANIMALIA secunda, ut Astrorum corpora, et eorum quae in iisdem sensu donata vivunt, ut in Tellure, Luna, et Sole. 9. PLANTAE, arbores, et herbae. 10. MINERALIA, Lapides, Metalla. Inter haec sunt quae speciem propriam constituentia non habentur, ut Ros, nix, coruscatio, flamma, nubes, quae inter simplicia sunt atque perfecte (ad quorum perfectionem tendunt) composita. Lapides ex alto cadentes et fulgura ad mineralium genus pertinent, etsi in matrice Telluris non fieri videantur. Zoophita inter animalia et plantas sunt, quae ad utrumlibet possis reducere genus; dum in alterius ordine supremum, alterius vero serie imum tenere gradum possint. Inter quaelibet duo similiter genera medium est, quod hac ratione capias, quando continuatione concatenationeque quadam, a supremo ad imum naturae scala deducit. Interea nullus denario numero rerum distributioni convenientior apparebit.

## SECUNDUS ORDO.

Denarius est numerus completus et perfectus ex numeratione hominis: designatione nempe quae ex digitis est. Significanter et naturali adcommodatione ad digitorum manus conformitatem quinque volumina legis, nempe Pentateuchum, Moyses exaravit: Christus ad duo praecepta dilectionis tamquam ad duas manus, et Mosaicas tabulas, Legem redegit suam. Utraque subinde Lex, decalogi expressione, digitis omnibus manuum, operum distinctionem significantibus, notatur, quorum ordo respondet: 1. UNITATI, 2. VERITATI, 3. BONITATI, 4. AMORI, 5. PATIENTIAE, 6. LIBERALITATI, 7. SINCERITATI, 8. FIDEI, 9. ABSTINENTIAE, 10. CONTINENTIAE: et ad hunc sensum moraliter referunt quod dicitur in libro Iobi, Deum signasse in manibus hominum, ut noverint singuli opera sua. In denario ergo

operabilia, operumque instrumenta sunt constituenda; sed operis tempus et media senarium exquirere, fuit in superioribus ostensum. Aristoteles non fortuito inquit: sed natura omnes tum Graeci, tum barbari usque ad decem numerant. Sed naturam illam non explicat, quia scilicet digitorum explicatione et complicatione, nec non articulorum, qui in iisdem sunt, notatione cogimur, vel muti vel silentes, exprimere. Et in quarta Telluris parte, quam Americam dicimus, discalceatum hominum genus, quam nos in decade, ipsi in vigenario (digitis nempe pedum quoque numerationi adsignatis) periodum, unde monadem repetant, constituunt. Sic ergo non temere a nobis dictum est, aliis speciebus alios ex digitis et profundioribus causis esse numeros, sicut et articulorum, et, quae ex articulis, figurarum: pluribus enim avium (si numerant) octonario digitorum numerus terminatur: et araneae et apes iuxta numerum crurium, hedras et angulos domorum faciunt. Patet igitur qua ratione expresse ad hominis speciem periodicus numerus sit denarius. Eius ergo figura linealis est circulus, qui cum monade valet 10. Plana duo circuli, qui cum monade valent 100; Solida tres circuli qui cum monade valent 1000; et sicut non sunt plures dimensiones tribus, ita digitorum periodus ad periodum articulorum tantum triplicata deductione crescit. Sic Plato ad culpae deletionem utitur numero Denario, Centenario, Millenario, qui ex denario consurgunt. Unde illud: "Centum erant annos volitantque haec littora circum", et "Hos omnes ubi mille rotam volvere per annos" "Rursuque incipiet in corpora velle reverti". Apocalypticus devinctam intelligit bestiam annis mille. Et Danieli numerus idem cubitus unus appellatur. Nec non Origenes, Christianus Theologus, et Philosophus Platonicus, tempus hoc tribuit tenebrae et lucis vicissitudini.

## TERTIUS ORDO.

Decem circulis sphaera tum visibilis tum invisibilis definitur. HORIZON Apollonio, in libro de tribunalibus, spirituum est duplex illorum, ordo superior et inferior, maior et minor; ubi maior influxum impresionemque facit in minorem: ille secundum quosdam intelligit animas nostras in minore, daemonas vero in maiori: secundum alios duas Hierarchias, quarum altera alteri praesidet. Hi, ut dicit Astaphon in libro Mineralium constellatorum, et in tetradis scala notavimus, in intersectionibus circulorum contemplantur. O quanta (inquit) virtus est intersecationibus circulorum, et quam sensibus hominum occulta! Cum caput Draconis in sagittario exstiterit, Diacedio lapide posito in aqua, naturaliter spiritus ad dandum responsa veniunt, qui lapis, tactu corporis hominis mortui (non aliorum animalium), virtutem amittit. MERIDIANUS qui idem et merinoctialis circulus a loco Meridianos Daemones appellant: pro quibus dicit Hypparchus in libro de cautelis naturae: Ut sol in linea circuli meridiei decipit elevantem, sic spiritus per umbram homines decipiunt: quia in rei veritate non potest haberi ascendens, et ii qui volunt de futuris iudicare, inde principium habent erroris. Et ego, in libro de sphaera, errorum istorum causam detego, et meridianum a meridie aversos inquirere doceo. COLURI solstitiorum, et COLURI aequinoctiorum rationes expressimus, quatenus exprimi possunt, atque etiam ad sufficientiam usque debent, in iis quae de scala tetradis adnotavimus, quatuor in species, quae quatuor elementis praesident, et eorum naturas differentias et vicissitudines suis vicissitudinibus, naturis, potentiis, actibus, atque figuris referunt, quatuor illa cardinalia puncta tenent et observant radios solis in illis. TROPICUS capricorni non habet intelligentias, quae ad nostratium usus pertineant, sed omnis cultus et superstitio ad TROPICUM cancri convertitur, cuius distantiam a circulo Arctico duplam ait Salomon, in libro umbrarum, ad maximam Solis declinationem: et distantia poli Arctici duplam esse ad maximam declinationem vitae coeli. Hinc Ciccus Asculanus (tempus lucis nactus) Principem spiritum, qui Floron dicitur, et duplici virtute distat ab Asmito, a quo tandem malo magus ille miser perditus fuit et deceptus: sed non deceptus, quia illius caput deberi elevari super populum Romanum praedixerat in umbra ex speculo chalybeo, sed cum minime omnium id formidaret, fuit in patibulum sublatus Romae, in campoFlorae. Invocatione rite facta, decepit etiam Massiliensem, sed non decepit thesauri inquisitorem cui dixerat: Vade vade, invenies Thesaurum quod tibi per totam vitam sufficiet: sed cum ille, effossa montis caverna, invenisset quatuor auri uncias, ruina obrutus interiit, et cadaver inventum est habens aurum in manu. Regi Manphredo irrisit dicens: irruite in campum hunc et inclinabuntur vobis inimici vestri, quem caeso exercitu conquestum iussit respicere hostes, qui iacentia cadavera spoliantes inclinabantur. Interrogatus ab Asculano de umbra Lunae respondit: Ut terra terra est, humiditatum est terra: si totam umbram habueris, te non decipiet sicut umbra. Interrogatus de Thesauro furtim abrepto, ubi lateret, dixit: inter pabulum, stabulum, et oratorium. Sed alia via inventum est in sepultura quae erat in templo. Nulli favent nisi fortasse quibus se sponte offerunt. Qui eos quaerunt importune, infelices sunt et desperati homines, et certe supplicio non indigni. ARCTICUM circulum potentissimi et perniciosissimi hostes hominum dicuntur tenere, iuxta illud: Ab Aquilone pandetur omne malum. Unde non temere refert propheta, Principem Samaelem dixisse: Sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis, ut similis altissimo siem; et istos circulum arcticum incolentes nobilioris esse naturae, testatur Salomon hebraeus, et quidam christiani necromantae dicunt, eorundem relatu, eos a Cherubin Hierarchia superiore propter superbiam deturbatos. ANTARCTICUM circulum incolentes ita alloquitur ille in libro de Umbris: O Antarctici manes, divinitate depulsi, cur tantae naturae nobilitas videtur astringi speculo mineraliae? Respondent enim tum ex speculis, tum ex statuis, aureis, argenteis, stanneis, et aliis. ZODIACUM, variatis vicibus, vagi sicut planetae, septem principes tenent (quorum vulgata ab aliis sunt nomina), de quibus, in Heptadis Scala, pro sua ratione meminimus. ECLYPTICA linea occultum et simplex genus habet citra quatuor illa puncta, de quibus in scala tetradis et alibi commemoravimus. Sed hi parabolice loquentes, aliud intelligunt: egoque non multum plusquam explicetur.

## MENSURAE EPILOGUS.

Nititur ut varie mensuram agnoscere vitae Signis distractus palma divinus, et eius Producti parteis sulci qui defluit alto, Nempe Iovis monte, et Veneris sublime perambit Et triquetri Martis latus unum creditur: haud hunc Certo Iudicio certis et Legibus aptum Principium ad artis metriae forte reportant. Cum tamen id firmo verum consistere sensu Concessum cunctis, atque experientia ab omni Parte probet vitae spacia ut subiecta notentur Haec paria imparibus spaciis: certaque remissis Lege tamen semper, nec non satis ordine certo. Totius ergo eius defluxus puncta notato, ut Ternum aequo a geminis punctum abstans intervallo Sistat sub geminis, tractus basis inde recurvae Excipi ab opposita punctum medium patiatur Cuspide, protensusque sui vestigia linquat Fluxus. Hic octonas in parteis scinditur aequas Vultque parallelas per septem iungere fines Nectendo adversum geminum latus: inde recurvae Rimanti parteis primas

hoc ordine agendum. Alternae e septem quatuor capiantur ut illae Unius exaequant totidem partesque recurvae Quando parallelaeque tomos capientur ad omnes Atque sigillatim subiectis ordine dicto Obtineant fines cum rectis semper eosdem. Quo circa exiguo a curvo nihilominus nobis Temporis a magna quam quantum parte refertur Rectas ac tantas subtendas partibus hisce In triquetrum similis generis migrantibus ut sic Omnia perspicue signis clarentur eisdem Quorum eadem est ratio: siquidem experientia monstrat Casibus e variis qui emenso tempore vitae Occurrunt tali metrum variante tenore Continue et aeque ratione feruntur iniqua. Propterea in simili comprensa recurva trigono Perpetuo veniat similes parteisque capessat, Cuspis ut Arcturi et Saturni Horoscopus aptant Partibus hinc similes bene partes substituentur, Consimilique modo aeque distent disque secentur. Pro exigua tandem rectam statuendum recurva Non multum errabis, quia sensus indicat ipse Subtilis iactus quae non manus adsequitatur. Nempe acies parvo in spacio medium, mediique Ulterius medium et quod circum cernere tanto Perfacili certoque magis conamine debet Quanto alios sensus praecellit luminis actus Ac minimum tandem rectum, minimumque recurvum. Consimili in puncto tantaque in sorte coibunt. Nam minimum a minimo numerus discriminat unus.

## FIGURAE EPILOGUS.

Organon ecce tibi tandem generale reporto Quo valeas cunctas ad amussim expromere formas. Non opus est medium varium per singula signumque Obiectis reparare novis: sed cuncta per unum Perficies Cyclum, cuius distinguere limbum In multas lubeat parteis exactius ut vis Inde opus educi. Porro sit adusque tomorum Demum distinctus numerus bissegmine semper. Sex tantum a primo fundamine continuante Non intermissa serie ut veniatur ad illud Subiectum spacium cuius medium atque quadratum Duntaxat fines liceat comprendere sensu, Scilicet ut medii medium a quo forsitan errans Errorem haud subeas quem perspectiva notare Possit, quique minus naturae accedere rei Quae vix momento mensuram servat eandem, Nec sibi respondent per cunctas corpora parteis Temporis ad multum quantumlibet intervallum Corporis alteritas veniat comperta oculorum Iudicio. Iccirco haudquaquam speciem temerabis Naturae externam si finem ampledine quadam Comprendas. Atqui cupiens captare per artem Cuncta per Arcturi mucronem pesequitantor. In parteis radii simili serie exeat, atque hic Per gyrum variando locum loca cuncta notare Aptius amborum punctorum nomine possit, Eius nempe quod et limbus quodque area monstrat. Nec prohibet quicquam quin sit protensior extra Limbum per longum radius quia plurimus usus Inde venit praesertim ut magnas atque minores Instrumento uno formas describere possis Commodius quorum hoc subiecto adponitur extra Aut medium, reliquo stantem intra obiecta oculosque. Nam sic per punctum radii limbique notantur Quilibet in plano fines ac terminus omnis, Consimilesque dabit quaecumque proportio formas. Quin etiam interdum gemino si operabere filo Te gemino limbus numero informabit, ut inde Non sit opus radio rebus quas fimbria gyri Comprendat. Rursum poterisque aptare trigonum Cuius de lateris medio ac de cuspide fila Tendantur, ratioque venit percommoda saepe haec. Porro ubi non multis numeris formanda figura est, Quamque Geometrae confirmet calculus, heic tu Obiecti circa centrum describito gyrum Aequalem vacuo quem vis formarier ut mox Productis aequos rectis capientibus arcus Quae vel consistant, aequatis finibus intus Comprensae aut aequo ducantur ad extima tractu Quaelibet hinc fiunt certe, tomus, orbita, finis, Costa, basis, facies, punctus, margo, angulus, apta.